DUBIUM VI.

De eo, qui Adulterium commisit.

§. I.

Prior Resolutio.

I. NOto, adulterium (sic dictum quasi accessus ad alterum torum) esse copulam cum persona conjugata, & si tam vir, quam fœmina tales fuerint, datur in tali crimine, præter malitiam fornicationis, duplex numero malitia moralis contra justitiam. Unde S. Thomas 1. 2. *q.* 73. *art.* 7. loquens de circumstantiis peccatorum: *Peccatum* (inquit) *fornicationis consistit in hoc, quod homo accedit ad non suam, si autem addatur hæc circumstantia, ut illa, ad quam accedit, sit alterius uxor, transfertur jam in aliud genus peccati, scilicet, in injustitiam: in quantum homo usurpat rem alterius.* Et *q.* 73. art. 5. ad 1. ait, quod *Adulterium non solum pertinet ad peccatum luxuriæ, sed etiam pertinet ad peccatum injustitiæ . . . & tunc gravius est adulterium, quam furtum, quanto homini charior est uxor, quam res possessa.* Nec refert, quod mulier consentiat. Nam, ut docet 2. 2. *q.* 65. art. 4. ad 3. *Per hoc, quod uxor voluntarie consensit in adulterium, minoratur quidem peccatum, & injuria ex parte ipsius mulieris; gravius enim esset, si adulter violenter eam opprimeret: non tamen propter hoc tollitur injuria ex parte viri: quia*, uxor non habet potestatem sui corporis, sed vir, *ut dicitur* 1. *ad Cor.* 7. Et insuper fit injuria ipsi matrimonio, cujus insolubile vinculum sic violatur: sitque carnis divisio, quæ unio sanctitate Sacramenti confirmata deturpatur. Sicut etsi Clericus consentiat, se a Judice laico comprehendi, & judicari; ipse quidem injuriam personalem non patitur: eam tamen patitur ipse status, cujus juribus, ac privilegiis ipse renuntiare non potest. Ideoque Innocentius XI. hanc propositionem, *n.* 50. damnavit: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.* Quia vero in adulterio duplex considerari potest injuria: una ratione ipsius adulterii, alia ratione prolis ex adulterio progenitæ: ideo

II. Dico Primo. Si ex adulterio non sequatur proles, neque adulter, neque adultera tenetur ad compensationem damnorum realium, quia nulla fuit secuta; tenentur tamen satisfacere marito pro injuria, si ipse resciverit adulterium. Si vero non resciverit, non tenentur: quia hæc satisfactio non est facienda, nisi per signa doloris, veniæ petitionem, humiliationem, aliosque similes modos, qui locum non habent, quando maritus ignorat. Hæc Assertio communis est. Immo leges civiles vetant, ne maritus pro adulterio uxoris exigat satisfactionem pecuniariam, *lib.* 48. *ff. tit.* 5. *l. Miles*, ac rursus: *l. Mario*, Lib. 2. Codicis tit. 4. *l. Transigere*. Et *lib.* 9. *tit.* 9. *l. De crimine*. His tamen non obstantibus, Lessius, *lib.* 2. *c.* 10. *dub.* 5. & Malderus, *tract.* 3. *c.* 4. *dub.* 8. existimant, non peccaturum maritum, si sine scandalo aliquid ab adultero, pro injuria sibi irrogata, secreto reciperet, vel cum eo transigeret. Quia leges illæ solum negant actionem in foro contentioso; idque ob præsumptionem lenocinii: ne scilicet videretur maritus esse leno uxoris, si propter ejus adulterium pecuniam jure exposceret.

III. Assertio tamen hæc intelligenda est, seclusa vi, & fraude. Nam etiamsi ex adulterio non sit secuta proles; si tamen adulter vim, fraudem, aut minas adhibuit, tenetur pro tali injuria, ad arbitrium prudentis viri, satisfacere.

Quare difficultas reducitur ad casum, quo ex adulterio genita sit proles. Ex hoc enim sequuntur plura damna. Primo. Quod proles adultera educetur ex bonis patris putativi. Secundo, quod si fœmina sit, accipiat dotem. Tertio. Quod accipiat hæreditatem, ac si esset proles legitima, ex qua proles legitima, vel in ejus defectu hæredes legitimi damnificentur.

§. II.

Alia resolutiones.

IV. Dico secundo. Si adulter sit moraliter certus, prolem ex adulterio natam, esse suam; tenetur, tam ipse, quam adultera compensare damna realia patri putativo, ejus legitimæ proli, aut hæredibus legitimis irrogata: uterque quidem pro rata, alterutro autem deficiente, quivis in solidum; sive adulter suaserit adulteræ, ut filium spurium pro legitimo supponat, sive non. Et ratio est. Nam quando duo efficaciter concurrunt ad damnum injuste inferendum; singuli pro rata, & alio deficiente, pur esset, in solidum tenetur reparare damnum: sed sic est in hoc casu; ergo &c. Min. de adultera patet: de adultero vero etiam non suadente suppositionem, probatur. Nam eo ipso, quod is ex suo semine, & aliena uxore faciat nasci prolem, quam maritus ex errore putat suam, eam illi censetur supponere. Tum etiam: quia dum adulter videt hanc prolem, quam scit esse suam, sustentari in aliena domo, mediis alienis, quam ipse tenetur alere, & tacet; eo ipso est causa per se, saltem indirecta, deceptionis, & damni secuti. Unde PP. Salmanticenses addunt: mulierem teneri, saltem ad tertium annum, alere puerum, virum autem a tertio anno usque ad ætatem, qua possit sibi propriis actibus victum procurare.

Immo etsi spurius exponatur hospitali alendus, censent communiter Auctores, teneri adhuc parentes ex justitia solvere expensas pro alimentis, si divites sint, & commode possent illum alere: alioquin defraudaretur intentio fundatorum, quæ pro solis pauperibus hujusmodi pia loca erexerunt. Quamvis non improbabilis sententia sit, eos non teneri ex justitia, si tamen consuetum pretium solverint.

Quod dixi, utrumque teneri, intelligendum est, si utrique adulter, & adultera communi consensu in adulterium convenerunt. Quod si adulter adulteram provocavit, ac induxit ad adulterium, ipse in solidum obligabitur ad omnia damna: eo quod sit causa principalis, & cam inducendo videatur in se suscepisse omnia damna. Ipso tamen deficiente, adultera tenetur in solidum, quia voluntarie cooperata est ad damnificationem.

V. Dico tertio. Si adulter non sit moraliter certus, sed rationabiliter credat, prolem non esse suam; eo quod mulier putet esse sui mariti, vel alias ipsa soleat rem habere cum plutibus; non tenetur ad dictam damnorum compensationem: quod etiam verum est, si mulierc afferente, prolem illam esse suam; motus tamen verosimilibus conjecturis credat, eam mentiri, ad ipsum obligandum. Ratio est, primo. Quia possessio stat pro matrimonio, etsi aliquæ conjecturæ in oppositum sint: unde filius judicatur ex legitimo toro natus, si durante matrimonio habeatur, nisi constet de opposito —— Secundo. Quia in dubio melior est conditio possidentis: unde filius jure legitimitatis non debet privari, nisi constet, eum esse spurium. Quare si eo tempore, quo adultera concepit, maritus cum ea habitaret; non teneretur adulter credere esse suam prolem, etiamsi in facie imaginem suam referre videatur: quia hæc sunt signa fallacia, vel etiamsi mulier juret esse suum. Semper enim, non obstantibus probabilibus conjecturis, a legibus, & Doctoribus proles præsumitur esse mariti, & possessio stat pro matrimonio; nisi constet certo de opposito: puta, si vir tunc non habitaret cum uxore, quando concepta est proles; aut ita ægrotaret, ut ineptus esset ad usum matrimonii.

VI. At. Quid si adultera eodem tempore cum duobus conversetur, & non sint signa manifesta, quod proles potius sit unius, quam alterius, remanebit ne uterque liber ab onere alendi filium, & refarciendi damna: ita ut soli matri incumbat filium alere, ac si maritus esset mortuus?

VII. Videtur probabilius; neutrum teneri talem prolem recognoscere, ut suam, aut eam alere, & refarcire damna: quia uterque dubius est de sua obligatione, & licet mala fide accesserit ad mulierem, attamen bona fide possidet bona sua: in dubiis autem, secundum regulam juris, melior est conditio possidentis. Sicut enim in foro externo, re non probata, reus absolvitur: sic in casu nostro, dum res manet dubia, & in utroque foro non probata, neuter obligatur ad alimenta, & multo minus ad alia damna. Sicut si occisus in via reperiatur, & probari non possit, an occisus fuerit a Petro, an a Francisco, iniquum erit utrumque punire, etiamsi certum sit, unum ex illis reum criminis fuisse: hoc, ne innocens injuste puniatur: sic in casu.

VIII. Sed dices pro adversa sententia. Iniquum videri, filium in isto casu subsidio parentum manere destitutum: ergo cum certum sit esse eorum filium, licet ignoretur cujus eorum sit, tenebuntur singuli pro rata illum alere.

Respondeo, nego ant. in casu. Nam etiam iniquum est, ut aliquis cogatur ex parte cognoscere, & alere ut filium, quem non scit esse suum, & forte suus non est. Suo ergo infortunio debet filius imputare, quod ob incertitudinem patrem non agnoscat, a quo subsidia paterna petere possit. Et ob hoc inconveniens, nempe, carentiam debitæ educationis, incerto patre damnatur naturæ lege concubitus inter solutos; & nulla etiam barbararum Gentium lege permissum fuit, ut una mulier duos haberet viros: quamvis in lege divina veteri, & aliis Gentium legibus permissum sit, unum virum duas, vel plures uxores habere.

IX. An vero adulter certo sciens, enatam prolem esse suam, teneatur etiam refarcire damna aliis filiis legitimis obvenientia, ob partitionem hæreditatis, vel successionem filii spurii in hæreditatem, si non sint alii filii legitimi, in præjudicium hæredum. —— Censent aliqui, quod si adulter auctor fuit adulteræ, ut spurium pro legitimo supponeret, teneatur refarcire omnia dicta damna filiis legitimis, vel hæredibus; secus autem quando nec procuravit, nec suasit.

X. Verius tamen dicendum, quod sive suaserit, ut spurius supponatur pro legitimo, sive non, tenebitur compensare damna prædicta. Quia licet non suaserit suppositionem, fuit tamen causa suo injusto actu, ut filius ille spurius credatur filius esse mariti; & hoc per se, cum regulariter, & semper contingat: is enim semper creditur filius mariti, qui ex ejus uxore nascitur; ergo cum per se sit causa talis erroris, est etiam causa omnium damnorum, quæ ex tali errore sequuntur. —— Tum quia: ut adulter causa sit suppositionis, sufficit, ut filium ex aliena uxore susceperit; hoc enim ipso, absque alia fictione, supponit eum marito, ac si filius ejus esset: sicut & adultera, ut causa sit suppositionis, satis est, ut stante matrimonio, & cohabitatione cum viro, suscipiat filium ex alio viro. Adulter ergo, ut pro supposita prole damna legitimis mariti filiis compenset, tenetur non solum ad alimenta impendenda; sed etiam damnum hæreditatis, si possit, legitimis filiis, vel hæredibus compensare.

§. III.

Quid de Adultera dicendum sit.

XI. Respondeo per sequentia. Primo. Adultera certo renens, prolem natam non esse sui mariti, in conscientia (quantum sine vitæ, & famæ dispendio potest) laborare

rare tenetur, ne legitimis prolibus, ac hæredibus noveniat damnum, quia injusta causa illius fuit: nisi forte adulter eam recepisset, vel provocasset; quia in hoc casu adulter teneretur in solidum, quia censeretur hoc onus in se suscepisse.

XII. Secundo. Modus talis compensationis esse potest. Si mulier habeat bona paraphernalia, seu liberæ ejus dispositioni relicta, debeat ea filiis legitimis in compensationem dare. Vel extraordinarie laborare, & lucrum inde acceptum illis tradere, ornatum muliebrem minuere &c. Poterit etiam filio adulterino, si capax sit, statum Clericalem, vel Monachalem suadere, sic tamen, ne secum ferat hæreditatem. Vel agere, ut ab extraneo, vel a suo vero patre adoptetur; sicque honesto titulo, e familia, & hæreditate exeat. Vel demum agere, ut, occulta causa, minor ei portio assignetur hæreditatis.

Quod si uno, vel pluribus ex his modis proli legitimæ totum damnum resarciatur, vel nullum damnum sequatur, potest mulier permittere, ut cum legitimis filiis educetur, & succedat in bonis patris putativi: ut nimirum conservet famam, quæ altioris ordinis est, quam bona fortunæ: —— esto autem illegitimi per leges inhabilitentur ad successionem in hæreditate; hoc intelligitur, quando res est notoria, nec est periculum infamiæ, aut gravioris mali: vel nisi damnum aliter compensetur, ut in casu.

XIII. Tertio. Si adultera nullo dictorum modorum possit damnum compensare, adhuc non tenetur proli, vel marito crimen suum revelare; Hoc probabilius censetur. Quia in dubio melior est conditio possidentis: sed mulier est in possessione suæ famæ, ut supponitur, & semper, vel quasi semper habet rationem dubitandi, an sua revelatio sit profutura; imo timendi, ne ultra infamiæ notam, alia graviora mala ipsi, & proli sequantur, & tandem quod suæ assertioni non credatur: quia filius matri dicenti, se esse spurium, licet hoc dicat in mortis articulo, & post sumptam Eucharistiam, non tenetur credere, ut docent Canonistæ: Quia secundum Regulam Juris: *Alleganti suam turpitudinem cum alterius præjudicio* (quale est hic, cum filius in communi opinione sit legitimus) *nulla est habenda fides.*

XIV. Quare quantacumque sit hæreditas, mulier si honestæ sit conditionis, & passim bonæ famæ, per se loquendo, non tenetur, cum famæ publicæ, aut vitæ periculo revelare crimen suum: imo etiamsi moraliter crederet, esse sibi fidem adhibendam, & damnum a legitimis hæredibus avertendum. Et colligitur ex Innoc. III. rescripto, *Cap. Officii, de Penit. & remiss.* Ubi generaliter dicit, absolvendam mulierem, quæ ignorante marito, de adulterio prolem suscepit, idque viro fateri timet; & competentem satisfactionem per discretum Sacerdotem esse ei injungendam. Ratio est. Tum quia: bonum famæ, per se loquendo, melius est bonis fortunæ. Tum etiam: quia in casu extremæ necessitatis nemo tenetur restituere: qui autem non potest restituere sine certo periculo famæ, & probabiliter etiam vitæ, in extrema necessitate censendus est.

XV. Quæ tamen dicta sunt, intelligenda erunt, si mulier sit bonæ famæ. Nam si mulieris fama, vel esset suspecta, & parvi momenti comparate ad hæreditatem, & damnum prolis legitimæ; teneretur cum periculo famæ (si desit periculum corporis, & animæ) impedire, ne illegitimus hæreditatem capiat. —— Debent etiam intelligi, per se loquendo. Nam per accidens teneri potest. Primo. Si hæreditas, puta, Principatus, aut etiam Regnum ex suo silentio deberet transire ad spurium; & prudentium judicio pluris æstimaretur hoc damnum, quam damnum, quod fœminæ immineret: nam in certis circumstantiis bonum inferioris ordinis potest in æstimatione bono superioris ordinis prævalere. —— Secundo. Si periclitaretur bonum commune, teneretur mulier revelare, etiam cum periculo vitæ: puta, si spurius, qui deberet succedere in Regno, aut Principatu, velut primogenitus, esset hæresi infectus, aut pessimis imbutus moribus; adeoque grave damnum communi bono fidei, & pacis timeretur; legitimus vero esset catholicus, & optimæ spei.

XVI. Pro complemento hujus dubii statuo casum, Filius ille adulterinus, in opinione legitimus, vult contrahere matrimonium cum filia sui parentis veri, nempe adulteri; & consequenter cum sorore ex patre, quam ipse nescit, quod est impedimentum dirimens: quomodo se geret mater adultera? Tenebitur ne revelare, sive ante, sive post matrimonium contractum etiam contra parentum voluntatem?

Respondeo, certum esse in primis, parentes id rescientes (nempe utrumque adulterum) omni possibili modo, adulterio non revelato, hoc matrimonium impedire teneri. Quod si aliter impedire non possent, teneri uni saltem eorum, nempe filio, vel, si aliter fieri nequit, etiam utrique, impedimentum revelare: ne tantum facinus, nempe, incestus fratris cum sorore sequatur.

QUÆSTIO III.

De restitutione famæ.

SPecialem quæstionem de hoc instituimus, quia specialem affert difficultatem. Quare quærimus: quomodo fama lædatur: quis, quomodo læsionem hanc reparare debeat: aliaque pro plena conscientiarum instructione exponemus.

DUBIUM I.

Quot modis fama, vel honoris læsio contingat.

§. I.

Quid sit fama, & honor.

I. FAma, & honor licet vulgo pro eodem accipiantur, diversa tamen sunt. Nam honor habet pro materia propria alterius excellentiam, ut sapientiam, ingenium, nobilitatem, divitias, dignitatem. Unde solet definiri cum S. Thom. 2. 2. *qu.* 103. *art.* 2. quod sit: *Quædam protestatio de excellentia bonitatis alicujus.* Fama vero habet pro materia primaria, & propria virtutem, & bonos mores alterius. Unde definiri solet: *Clara notitia, quam alii de nobis habent.* Vel bonæ, & inculpatæ vitæ existimatio, quam alii de nobis habent. Unde consistit potissimum in opinione virtutis, & sapientiæ, & bonarum actionum alterius: quamvis secundario consistat etiam in opinione ingenii, eloquentiæ, nobilitatis, divitiarum, & aliorum, quæ inter homines magni æstimantur.

II. Hinc infertur primo: famam esse majus bonum, quam honorem. Tum quia: potior est æstimatio, quam alii habent de nostra probitate, quam reverentia, quam homines sæpe vane, imo & mendaciter exhibent. Tum quia: fama consistit in interna opinione, honor in externa testificatione; actus autem interni præstantiores sunt externis. Tum demum: quia in tantum honor æstimatur, in quantum est testificatio famæ, seu bonæ existimationis, & in quantum eam includit. Unde qui prudentes sunt, malunt, homines de se bene sentire, absque ulla exteriori protestatione; quam si per honorem attestarentur, se bonam opinionem habere, cum haberent malam.

III. Infertur secundo ex his: famam, & honorem non ita inter se connecti, quin aliquando separentur. Multoties enim honorantur Magnates, ob excellentiam sanguinis; quorum mala habetur opinio, & morum sinistra existimatio. Et e contra viri sanctissimi in eremis latitantes solent honoribus privari; de quorum sanctitate, & virtute clara habetur notitia, & æstimatio. Quare potest peccari graviter contra honorem, & non contra famam; ut si alicui in occulto aliquam dedisti, honorem, quem teneris compensare, læsisti, non famam: si alicujus honorem denigrasti, crimina falsa ei objiciendo coram personis, quæ ea non crediderunt, honorem vulnerasti, non famam. E contra vero si alicui absenti detrahens, defectus graves occultos prodendo, ejus bonam æstimationem coram aliquibus, qui eos crediderunt, denigrasti, contra famam egisti, & forte non contra honorem: quia non semper est dehonoratio, saltem gravis, turpia de aliquo narrare. His notatis.

§. II.

Resolutio Dubii.

IV. FAma, & honor alterius possunt lædi facto, ut si ad januam uxorati appendantur cornua: & verbis, nimirum, vel detractione, vel contumelia, vel susurratione, vel derisione.

Detractio definitur a S. Thom. 2. 2. *qu.* 73. *art.* 1. quod sit: *Injusta denigratio alienæ famæ, per occulta verba.* Dicitur primo *Injusta*. Unde non peccant, Judex juste, & legitime damnans reum, testes juridice deponentes, revelans alterius crimen, ut damnum vitet proprium, vel alterius, servato ordine fraternæ charitatis. Dicitur *Alienæ famæ*. Hæc enim est detractionis objectum, sicut alienus honor est objectum contumeliæ. Dicitur etiam *Occulta*. Quia detractor loquitur occulte, contumeliosus autem manifeste, & palam. Dicitur *per Verba*. Sive proprie dicta, sive per æquipollens, ut sunt nutus, gestus, scriptura, imo & aliquando etiam silentium.

V. Contumelia definiri potest, quod sit Injusta dehonoratio, qua aliquis id, quod est contra honorem alterius, deducit in notitiam eius, & aliorum. Contumelia essi præcipue consistat in verbis, potest tamen etiam irrogari facto: vel ut factum est proximo nocumentum afferens: ut si alterum fuste percutias, vel et alapam infligas; vel ut factum habet rationem signi. Sic frangere imagines, vel insignia Principis: ut factum est, nullum nocumentum affert Principi: ut tamen signum est assumptum, ad ostendendum animum ipsum dehonorandi, eumque contemptu dignum ostendendi, contumelia est. Similiter alterius januam deturpare, ut ipsum quis vilipendat, contumelia est: eam autem frangere, potest ad rapinam pertinere, si frangat, ut alienum rapiat; & ad contumeliam, eodem actu velit eum dehonorare: unde utrumque foret in confessione exprimendum. Verbis autem tripliciter contingere potest contumelia. Primo. Si quis alteri objiciat defectus verbis apertis. Secundo. Si scripto, vel famoso libello: & tunc vel nomen suum manifestat; & sic partim est contumeliosus, partim detractor: vel reticet, nec vult manifestari; & sic est proprie detractor, quia vult infamare cum quadam occultatione. De contumelia agit S. Thom. 2. 2. *qu.* 72. ad quam Studiosum remitto.

Solum observandam censeo ex eodem S. Doctore, laudata quæst. *art.* 1. *ad* 3. differentiam inter contumeliam, convicium, & improperium. Quod contumelia proprie est dehonoratio per verba exprimentia malum culpæ: ut cum alicui seu vere, seu falso objicitur, quo sit fur, mæchus, hæreticus, &c. Convicium est dehonoratio per verba objicientia generaliter repræsentantia defectum, sive culpæ, sive pœnæ: ut si alicui injuriose dicas, eum esse spurium, cœcum, claudum, con-

convicium dices. Improperium autem dicit inhonorationem per verba quamdam minorationem, vel indigentiam importantia: ut cum quis injuriose alteri objicit beneficium ei in necessitatem præstitum.

VI. Susurratio ex D. Thom. 2. 2. *qu.* 74. *art.* 1. convenit cum detractione, & differt ab illa: *Susurro* (ait S. Thom.) *& detractor in materia conveniunt, & etiam in forma, sive in modo loquendi; quia uterque malum occulte de proximo dicit... differunt autem in fine. Quia detractor intendit denigrare famam proximi: unde illa mala præcipue de proximo profert, ex quibus proximus infamari possit, vel saltem diminui ejus fama. Susurro autem intendit amicitiam separare.... Et ideo susurro talia mala profert de proximo, quæ possunt contra ipsum commovere animum audientis.* Quare susurratio describi potest, quod sit: Secreta oblocutio, quæ malum occulte de proximo dicit, eo animo, ut inter aliquos amicitia dissolvatur. Hinc S. Thom. citatus, *art.* 2. infert, susurrationem gravius peccatum esse detractione. Nam *peccatum in proximum tanto est gravius, quanto per ipsum majus nocumentum proximo inferitur; nocumentum autem tanto majus est, quanto majus est bonum, quod tollitur, inter cætera vero exteriora bona præeminet amicus... Unde dicitur Ecclesiastici*, 6. Amico fideli nulla est comparatio. *Fama autem ipsa, qua per detractionem tollitur, ad hoc maxime necessaria est, ut homo idoneus ad amicitiam habeatur. Et ideo susurratio est majus peccatum, quam detractio, & etiam quam contumelia; quia amicus est melior, quam honor, & amari; quam honorari.* Addo: quod ubi detractio solum bonum famæ tollit; susurratio & bonum famæ, & amicitiæ dissipat.

VII. Derisio ex S. Thom. 2. 2. *qu.* 75. *art.* 1. speciale peccatum est a supradictis distinctum. Et est: Quia quis malum de proximo dicit, ut erubescat: *Sicut autem* (ait S. Thom.) *aliquis convicinando intendit conviciari honorem deprimere, & detrahendo diminuere famam, & susurrando tollere amicitiam: ita etiam irridendo aliquis intendit, quod ille, qui irridetur, erubescat. Et quia hic finis est distinctus ab aliis; ideo etiam peccatum irrisionis distinguitur a præmissis peccatis.*

At vero irrisio sit peccatum mortale: dicit S. Thom. ibi art. 2. *Quod irrisio non fit, nisi de aliquo malo, vel defectu. Malum autem si sit magnum non pro ludo accipitur, sed seriose. Unde si in ludum, vel risum vertatur, ex qua irrisionis, vel illusionis nomen sumitur; hæc est, quia accipitur, ut parvum. Potest autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter. Uno modo, secundum se: alio modo, ratione personæ. Cum autem aliquis alterius personæ malum, vel defectum in ludum, vel risum ponit, quia secundum se parvum malum est; est veniale, & leve peccatum secundum genus suum. Cum accipitur quasi parvum, ratione personæ, sicut defectus puerorum; & stultorum parum ponderare solemus: sic aliquem illudere, vel irridere, est eum omnino parvipendere, & eum tam vilem æstimare, ut de ejus malo non sit curandum; sed sit quasi pro ludo habendum. Et sic derisio est peccatum mortale, & gravius, quam contumelia, quæ similiter est in manifesto: quia contumelioso videtur accipere malum alterius serioso, illusor autem in ludum; & ita videtur esse major contemptus, & deshonoratio. Et secundum hoc illusio est grave peccatum; & tanto gravius, quanto major reverentia debetur personæ, quæ illuditur.*

Ex quo infert Sanct. Doctor quod gravissimum est irridere Deum, & ea, quæ Dei sunt; huic enim blasphemia conjuncta est. Secundum locum tenet irrisio parentum. Tertium irrisio Justorum, quæ valde gravius est. Tum quia: tollit honorem, qui est virtutis præmium. Tum quia: valde nociva est, quia per hoc homines a bene agendo impediuntur.

Tradit insuper idem S. Thom. citatus, *art.* 1. *ad* 1. differentiam esse inter subsannationem, & irrisionem: quod quamvis conveniant in fine, & per hoc specie non differant; irrisio tamen fit ore, idest, verbo, & cachinno; subsannatio autem naso rugato.

§. III.

An detractio, & contumelia sint peccatum mortale.

VIII. Circa detractionem, de qua præcipue acturi sumus, notat S. Thom. *qu.* 73. *art.* 2. eam esse ex suo genere peccatum mortale. Quia *Detractio, secundum suam rationem, ordinatur ad denigrandum famam alicujus... Auferre autem alicui famam valde grave est: quia inter res temporales fama videtur esse præstantior, per cujus defectum impeditur homo a multis bene agendis.* Et *art.* 3. docet, & probat, detractionem esse ex suo genere gravius peccatum furto; minus tamen, quam homicidium, & adulterium: Gravius quidem furto: quia inter exteriora bona fama, quæ eripitur per detractionem, præminet divitiis, quæ furto auferuntur; eo quod fama propinquior est spiritualibus bonis. Minus grave homicidio, & adulterio: quia his læditur homo in bonis corporis. Homicidio enim tollitur vita corporis actu existens; adulterio autem tollitur debitus ordo generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam: bona autem corporis potiora sunt bonis exterioribus, inter quæ est fama. Nisi forte in singulari, ob circumstantias, sive majus, vel minus nocumentum, aliter esset discurrendum.

IX. Circa contumeliam, seu convicium docet S. Thom. *qu.* 72. *art.* 2. esse & ipsam ex suo genere peccatum mortale, non minus, ac furtum, & rapinam. Unde Christus, *Matth.* 5. *ver.* 22. ait: *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Solum autem peccatum mortale facit reum gehennæ. Et reddit rationem: *Non enim homo minus amat suum honorem, quam rem possessam.* In singulari tamen potest tam detractio, quam contumelia, & convicium non esse peccatum mortale. Detractio quidem. Nam, ut docet qu. 73. art. 2. *Contingit quandoque, quod aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicujus; non hoc intendens, sed aliquid aliud: hoc autem non est detrahere, per se, & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis; non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate, vel præter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale; nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat; & præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis: & tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cujuslibet rei subtractæ*: Ita S. Thom. Quæ in praxi valde sunt notanda.

Contumelia quoque. Nam, ut docet idem S. Doct. *qu.* 72. *art.* 2. his verbis: *Si vero aliquis verbum convicii, vel contumeliæ alteri dixerit; non tamen animo deshonorandi, sed forte propter correctionem, vel præter aliquid hujusmodi: non dicit convicium, vel contumeliam formaliter, & per se, sed per accidens, & materialiter: in quantum dicit id, quod potest esse convicium, vel contumelia. Unde hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque autem absque omni peccato.* Nam (ait ibi ad 2.) *Sicut licitum est, aliquem verberare, vel in rebus damnificare, causa disciplinæ: ita etiam causa disciplinæ, potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere. Et hoc modo Dominus discipuli vocavit Stultos* (Lucæ 24. ver. 25.) *Et Apostolus Galatas* Insensatos (Galat. 3. ver. 1.) *Tamen sicut dicit Augustinus*, lib. 2. de Serm. Domini in monte, cap. 19. *Raro, & ex magna necessitate objurgationes sunt adhibenda; in quibus non nobis, sed ut Domino serviatur, instemus.*

Unde S. Doct. ibi in corp. prosequitur: *In quo tamen necessaria est discretio, ut moderate homo talibus verbis utatur: quia posset esse ita grave convicium, quod per incautelam prolatum auferret honorem ejus, contra quem proferretur. Et tunc posset homo peccare mortaliter, etiamsi non intenderet deshonorationem alterius: sicut etiam si aliquis incaute alium ex ludo percutiens, graviter lædat, & culpa non careat.*

X. Susurrationem peccatum mortale esse, nemo dubitare potest. Cum enim, ut dicebamus, tendat ad dissolvendam amicitiam inter duos; contrariatur non solum justitiæ, sed etiam præcepto dilectionis proximi, juxta illud Ecclesiast. 28. ver. 15. *Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.* Ac subinde describuntur mala, quæ ex susurratione secuta sunt. Super quæ S. Thom. *qu.* 75. *art.* 1. *ad* 3. ait: *Bilinguis proprie dicitur susurro. Cum enim amicitia sit inter duos, nititur susurro ex utraque parte amicitiam rumpere; & ideo duabus linguis nitur ad duos, uni dicens malum de alio. Propter quod dicitur, Ecclesiastici* 28. Susurro, & bilinguis maledictus &c.

XI. Quod si quæras: Quodnam ex his gravius peccatum sit? Respondeo, ex dictis §. præcedente, susurrationem gravius peccatum esse detractione, & contumelia: Quia susurratio directe intendit amicitiam inter duos dissolvere; quod majus bonum est, quam honor, quod detractione, & contumelia tollitur: unde directe agit contra præceptum de dilectione proximi, & consequenter contra Deum, qui dilectio est. Quare Ecclesiastici 5. *ver.* 17. dicitur: *Super furem enim est confusio, & pœnitentia, & detestatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia*, & Proverb. 6. ver. 16. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus*, & hoc septimum ponit eum, *Qui seminat inter fratres discordias.* Vide S. Thom. *quæstione.* 74. *art.* 2. *ad* 3.

XII. Quid autem gravius sit, Contumelia, an detractio? Dico cum D. Thom. qu. 73. ad 2. *Quod gravius peccatum est contumelia, quam detractio, in quantum habet majorem contemptum proximi: sicut & rapina est gravius peccatum, quam furtum.* Contumelia enim in præsentia, & quasi vim inferendo, irrogatur, detractio autem tollit famam in absentia; sicut rapina in præsentia, furtum vero in absentia pecunias tollit. Ex quo sequitur, contumeliam esse acerbiorem; quia per eam quis patitur involuntarium per violentiam, sicut in rapina, & per detractionem solum patitur involuntarium per ignorantiam, sicut in furto. *Magis autem est aliquid involuntarium, per violentiam, quam per ignorantiam; quia violentia directius opponitur voluntati, quam ignorantia.* Ita S. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 9.

D U B I U M II.

Quandenam incurratur obligatio famam restituendi, & quando non.

§. I.

An fama ablata sit restituenda?

I. Dico. Fama injuste ablata est restituenda. Est certum. Nam fama, & honor bona præstantiora sunt, quam divitiæ, juxta illud, Prov. 22. ver. 1. *Melior est nomen bonum, quam divitiæ multæ*: atqui pecuniæ injuste ablatæ sunt necessario restituendæ; ergo multo magis honor, & fama, si injuste auferantur: imo non tantum ipsa restituenda sunt, sed omnia damna inde secuta. —— Et Confirmatur. Nam, ut superius diximus, restituere quod injuste ablatum est, necessarium est ad salutem; ergo qui famam injuste abstulit, necessitate ad salutem tenetur restituere.

II. Dixi, quod fama injuste ablata est restituenda. Nam fama potest auferri tripliciter, ex D. Thom. 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *ad* 2. Primo, verum dicendo, & juste: ut cum servato juris ordine, quis interrogatus in judicio verum crimen alterius manifestat. Sed hic non proprie infamat; nam licet invito domino famam auferat, non tamen injuste. Sicut non omnis qui aufert rem alienam, domino qualitercumque invito, dicitur furari; sed solus, qui aufert, domino rationabiliter invito, atque ita injuste. Et hic non tenetur ad restitutionem famæ. Secundo. Falsum dicendo, & injuste: & tunc tenetur restituere famam, confitendo, se falsum dixisse. Tertio. Verum dicendo sed injuste: puta cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & is pariter tenetur restituere quantum potest. Sed de his infra.

§. II.

Resolutio Dubii.

III. Diminutio famæ, ex D. Th. 2. 2. *q.* 73. *a.* 1. *ad* 3. contingere potest dupliciter. Vel directe; vel indirecte. Directe quatuor modis hoc versu significatis.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Imponens. Quando falsum imponit alteri. *Augens.* Quando peccatum adauget suis verbis. *Manifestans.* Quando occultum revelat. *In mala vertens.* Quando id quod est bonum, dicit mala intentione factum. —— Indirecte vero fit etiam quatuor modis, hoc versu expressis:

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

Nimirum: *Qui negat.* Cum quis alterius præclare gesta, aut dotes, vel merita negat. *Aut minuit.* Cum ea extenuat. *Reticet.* Cum ea tacet eo tempore, & loco, quo silentium præsumitur, aut vituperatio, aut narrati criminis confirmatio. *Laudatque remisse.* Cum quis alium laudat frigide, & simulate. Ex dictis modis unus est altero notabiliter gravior, omnesque obligant ad restitutionem famæ, & damnorum, si quæ sequuntur.

IV. Dico. Obligatio restituendi incurritur, quando fama est vere ablata, quando injuste, quando non est recuperata: quando infamatus non cessit suo juri, neque remisit obligationem restituendi. Primum constat. Quia si fama proximi non est ablata, seu denigrata, nulla est ei facta injustitia, & nullum damnum illatum. Sicut ergo fur, qui conatus est alteri pecuniam auferre, non tamen abstulit, non tenetur eam restituere: ita non tenetur restituere famam, qui licet, vel detrahendo, vel aliter conatus sit proximo auferre famam, non abstulit tamen.

Quatuor autem modis contingit non lædi famam; quamvis ei detrahatur, sive cum veniali, sive cum peccato mortali. Primo. Si mala, quæ de aliquo dicuntur, non sint respectu ejus infamia: ut si de milite dicatur, quod provocavit alium ad duellum: de homine vulgari, quod fuerit ebrius in ea regione, in qua ebrietas non æstimatur pro infamia. —— Secundo. Quando aliquis de tali materia est publice infamis: ut si de publico usurario dicatur, quod contractum usurarium inivit: de meretrice, quod fornicata est. —— Tertio. Si sit materia, quæ in tali persona, ut levis habeatur, neque ejus æstimationem notabiliter lædat. —— Quarto. Quando non creditur diffamatori: quia nimirum homo levis est, nec fide dignus: vel quia existimatur joco dixisse, quod dixit.

V. Secundum quoque certum est. Quia, ex supradictis, fama si juste auferatur, in nullo violatur justitia: cumque nullus alius appareat titulus, ex quo nasci possit obligatio restitutionis, quam violata justitia; fit, quod qui eam non violavit, restituere non teneatur. Quia restitutio supponit, per ablationem, inductam inæqualitatem; quatenus unus habet minus, quam habere debebit, alter plus: qui autem juste fama privatur, non habet minus, quam habere debet; ideoque per justitiam non est faciendi æqualitas. Addo: quod nemo ex justitia tenetur restituere, aut etiam ex charitate, quando nihil alienum manet penes auferentem, atqui penes eum, qui juste, & licite famam alterius aufert, nihil manet alienum, cum faciat actum justitiæ, ergo &c. Hinc ad restitutionem non tenentur, qui juridice malefactores accusant, vel puniunt; qui, juxta præceptum correctionis fraternæ unum, vel duos testes secum adhibent ad corripiendum fratrem: qui amico consulentes, ei detegunt infidelitatem servi, aut ne eum admittat, aut ne ei nimium fidat: qui aperiunt improbos mores alterius, ne honesti filia ipsum accipiat in matrimonium.

VI. Tertium non minus est certum. Nam si fama injuste ablata non est recuperata: is, a quo fuit ablata semper habet jus adversus ablatorem eam repetendi. Si vero alia via eam recuperavit: vel per evidentiam rei, vel per integritatem vitæ, vel per testium inductionem, vel per sententiam Judicis, aut alio modo, non tenetur, qui ei famam abstulit, restituere: quia jam cessat damnum, & inæqualitas per detractionem inducta. Sicut si Petrus pecuniam, sibi furto ablatam, per se ipsum accipiat: non tenetur fur eam restituere. Advertendum tamen: quod si occasione, & cursu infamationis infamatus aliqua damna, sive in recuperandi famæ; sive aliter passus sit; vel sumptus fecerit; tenebitur infamator hæc omnia compensare. Quin etiam pro ipsa infamia, quam tanto tempore sustinuit, antequam famam recuperaret, aliquid erit arbitrio viri prudentis restituendum, per signa honoris, & doloris, per veniæ petitionem, aut laudem, vel aliis modis.

VII. Petes: Si illi, coram quibus aliquis detraxit de proximo, penitus obliti sint; censendus ne est proximus ita recuperasse famam, ut alter non teneatur ad ejus restitutionem? —— Respondeo affirmative. Quia proximus nihil infamiæ habet apud illos, qui penitus obliti sunt criminis: debebit tamen damna, si quæ a tempore infamiæ usque ad oblivionem secuta sunt, compensare.

VIII. Sed quid si post multos demum annos, ut quindecim, viginti, triginta meminerit quis, se notabiliter detraxisse in juventute, revelando, nempe, occultam alicujus honestæ puellæ fornicationem, tenebitur ne tunc famam ablatam restituere: aut petere ab illis, apud quos detraxit, an recordentur alicujus peccati, quod de tali persona olim narraverit?

IX. Respondeo, prudenter hic agendum, & tum ex modo, quo cum persona infamata conversantur; aut, quo de illa loquuntur ii, apud quos detraxit, observandum, num aliqua in eis memoria remanserit peccati a tanto tempore narrati, vel sinistra propter illud opinio. Si sic: restitutio erit omnino facienda. Quia tunc periculum est, ne tanto firmius credant, quanto narrationem a tot annis factam, multis interea Confessionibus, & Communionibus interpositis, revocare non curat. Si nihil possit advertere, non oportet ullam restitutionem facere: nisi forte, data occasione, bene de illa persona loqui, & omnem perversæ cogitationis ansam auferre.

Petere vero, num recordentur alicujus criminis jam olim narrati, non existimarem necessarium, imo nec consultum: ne contingeret, ut illud, quod nunc fortasse obliti sunt, eis in memoriam revocaretur, & difficilius deleretur. Longe ergo satius est, nullam omnino criminis illius memoriam haberi: eo quod diuturnitas temporis, adhibita, quam supra diximus, cautela, sufficiens conjectura est, ad probabiliter credendum, eos jam esse obliros: nisi contrarium saltem ex probabilibus argumentis appareat.

X. Quartum, nempe, detractorem, cui infamatus non cesserit juri suo, adhuc manere obligatum ad restitutionem, certum est. Sicut enim qui rem alienam abstulit, semper manet obligatus ad restitutionem, donec ille, a quo est ablata, obligationem restituendi non condonaverit: idem dicendum de eo, qui famam abstulit.

Adverte tamen: quod tacere, aut patienter infamiam ferre, non est condonare, nec liberat infamatorem a debito restitutionis. Sicut enim esto Martyres patienter toleraverint mortem, nihilominus tyranni peccabant contra justitiam: ita etsi infamatus patienter infamiam tolerat, & eam propter Deum non curet; adhuc infamator ad restitutionem tenetur, nisi expresse illam, ejusque restitutionem condonet.

An vero sufficiat, si infamatus, remittat offensam in genere, quæcumque illa sit; an vero requiratur, ut eam in specie exprimat: aliqui dubitant. Crediderim tamen, quod sit satis: nam qui totum condonat, nihil reservat, aut excludit.

An vero infamatus, licite possit condonare obligationem restituendi, dicetur infra.

§. II.

Illata ex dictis §. præcedente.

XI. Ex dictis infertur, quando detractor excusetur a restitutione, nimirum, primo. Quando fama non vere est ablata. Secundo. Quando est quidem ablata, sed juste. Tertio. Quando fama est recuperata. Quarto. Quando qui infamiam passus est, condonat debitum eam restituendi.

XII. Quibus adjungi possunt alii casus, quibus detractor excusandus videtur a debito restitutionis. Primo. Si, ut supra dicebamus, proferens verba contra famam, non intenderit eam denigrare, sed aliquid aliud; nisi tamen secutum sit damnum. —— Secundo. Si ex animi levitate id protulerit: si tamen damnum secutum non sit. —— Tertio. Si protulit propter bonum aliquod necessarium, vel ad avertendum grave damnum. Unde licet prodere defectus occultos illius, qui cum detrimento publico præficiendus esset cuipiam officio: monere aliquos, ut sibi caveant ab eo, quem nosti esse furem: & ut declinent ejus consortium, quo prudenter times fore corrumpendos. —— Quarto. Si culpa, quæ proditur sit venialis; vel etsi in se gravis, respectu tamen personæ, de qua dicitur, est infamia levis: ut si de meretrice dicatur, quod fornicata est. —— Quinto. Si detrahenti non credatur; vel quia reputatur homo levis, vel indignus fide, vel creditur ex joco dicere. —— Sexto. Si proferat in circumstantia, ex qua non sequatur infamia: ut si de aliquo non noto, nec unquam cognoscendo. Septimo. Si narretur crimen, quod jam est, vel proxime certe fiet notorium. —— Octavo. Si narretur crimen, quod est cum crimine principali jam noto connexum. Et ratio horum est. Quia in prædictis casibus, vel non sequitur læsio famæ per se, aut nullo modo; vel ad summum levis, ut ponderanti patebit.

XIII. Excusare quoque potest necessitas: Ut si quis injuste infametur, & infamiam aliter non possit avertere, nisi prodendo occultum ejus crimen: is enim non teneretur ad restitutionem; quia esset sicut ille, qui aliter non valens vitam ab aggressore tueri, aggressorem interficeret.

XIV. Excusare potest etiam a restitutione compensatio. Ut si duo æqualiter se infamaverint, & conveniant inter se, ut uterque maneat cum sua infamia; nisi tamen oriatur scandalum. Nota tamen, non licere compensare sibi infamiam, reciproce alterum infamando: quia non licet, malum pro malo red-

reddere. Si tamen id factum sit, modo infamia sit æqualis, & personæ se infamantes æqualis dignitatis; non tenetur unus restituere, nisi alter restituat. Quamvis enim non reparetur damnum; tollitur tamen debitum illius damni restituendi, si alius nolit refarcire damnum, quod tibi intulit. Sicut si Petrus tuas segetes incendit, & postea tu incendas tantumdem segetum ipsius, non reparatur quidem damnum: tollitur tamen debitum restituendi, si is, qui prior incendit, non restituat.

XV. Excusat etiam impotentia moralis. Ut si quis restituere nequeat, absque amissione propriæ famæ, quæ longe præstantior sit: puta, si infamatus sit persona vilis, infamans vero celebris, & necessaria. Tunc enim fat esset, vel laudare infamatum in eo genere, in quo eum diffamavit: aut damnum pecuniæ, aliove modo redimere. Pariter si absque periculo vitæ, ordinarie non possit; quia vita altioris ordinis est, quam fama: nemo autem tenetur restituere bona inferioris ordinis cum jactura bonorum ordinis superioris. Si tamen ex circumstantiis fama alterius esset majus bonum, quam vita detractoris; ut si ex hoc immineret bellum intestinum, vel civile, vel publicum; vel si privatus familiam valde illustrem, cujus famæ integritas omnino est necessaria, vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ, infamavit de hæresi, nec possit ea macula abstergi, nisi retractet id, quod dixit: tunc probabile est, eum teneri illam cum periculo propriæ vitæ restituere. Idem dicendum videtur de eo, qui infamasset aliquem de falso crimine, ob quod esset occidendus: teneretur enim infamator exponere se periculo mortis, ut ejus famam, & vitam repararet.

XVI. Sed quid dicendum: si ille innocens sit occidendus, puta, propter homicidium a Petro, falso illi impositum, non a Petro, sed ab alio tenebitur ne Petrus seipsum prodere, ut ipsum liberet? —— Respondeo, non teneri, si se prodendo mors ei immineat: quia non est causa infamiæ, vel periculi innocentis. Si tamen ex charitate vellet se prodere, bene faceret: cum ex charitate liceat exponere vitam propriam pro vita proximi, maxime quando injuste periculo exponitur.

XVII. Non excusatur tamen a restitutione infamator, esto cum crimine narret etiam ejus pœnitentiam; nisi pœnitentiæ relatio spectet ad Dei gloriam: qualis est narratio peccati, & pœnitentiæ Magdalenæ, Petri, Pauli &c. Ratio est. Quia licet pœnitentia sit eximium bonum, & audientes ædificet; non aufert tamen finistram opinionem de crimine, sed confirmat potius.

XVIII. Non excusatur pariter a restitutione qui alium diffamat dicens, enim per hypocrisim sibi comparasse famam: quia talis habet jus suæ famæ; & per hypocrisim alteri non nocet, sed sibi soli. Quod si hypocrisis alteri noceret, qui hoc revelaret, esset liber a restitutione: maxime si id ex zelo, & ad avertendum damnum hoc faceret. Et ratio est: quia talis non habet jus retinendi suam famam, præsertim in errore fundatam, cum damno, vel incommodo aliorum. Hinc si quis vere pauper simulet se sanctum, & pium, ut eleemosynas accipiat, non potes ejus peccata occulta detegere: cum enim sit pauper, & eleemosynæ capax, ejus ficta sanctitas nemini nocet. At si qui non est pauper, simularet se talem, ut eleemosynas acciperet; servatis iis, quæ secundum ordinem fraternæ correctionis adhibenda sunt, posset ejus simulatio detegi iis, quorum est impedire, ne propter eum veri pauperes frustrarentur.

XIX. Non excusatur a debito restituendi, qui cum famæ proximi detraxerit in uno genere, eam auxerit in alio genere; quia per hoc non redditur æqualitas: puta, si quem diffamasti ob adulterium, laudes ob liberalitatem. Si tamen in hoc genere ita auxeris famam ejus, ut prudentum judicio sinistra de eo impressio in alio genere delata credatur; tunc facta erit compensatio. Adverte tamen: quod si quis familiari modo loquendi diceret: Petrus est liberalis, misericors, justus, omni pietate ornatus: *Sed est damnum, quod sit fornicarius, quod sit ebriosus*; ita ut ex una parte famam ejus extolleret, ex alia deprimeret: iste perniciose loqueretur, ac in eo, quod ei detraxit, restituere teneretur.

XX. Nec a restitutione deobligatur, qui injuriam sibi factam (occultam tamen) putat, tori sui violationem, amico suo narraret cum animo detrahendi, & se vindicandi: quia sic deturbaret a possessione famæ, in qua erant apud amicum adulteri. Sunt enim multi, qui cum non audeant aperte contumeliam pro injuria sibi illata reddere, eo quod metuant eum, qui ipsos læsit: occulte conantur ulcisci proditione acceptæ injuriæ, denigrando ejus famam, & bonam opinionem, quam alii de ipso habent. Si vero quis malum sibi illatum amico referat, solo animo leniendi dolorem; aut auxilii, seu consilii capiendi, sine nimia exaggeratione, & persona non nominata; nisi forte quantum suum solatium, & necessitas consilii postulat, non peccat: quia utitur jure suo; dum non vindictam, sed consolationem quærit, ac suæ indemnitati consulit: quod vero qui intulit injuriam infametur apud consolatorem, imputet sibi. Nimis enim durum esset, si qui injuriam passus est, cogeretur injurias solus ferre; nec posset ab amico solamen, & auxilium pro sua indemnitate quærere; ut indemnitati famæ sui injusti offensoris consuleret, & famam tectam servaret.

§. IV.

Aliqua quæstiones propositæ, & solutæ.

XXI. Quæres Primo: An ad restitutionem teneatur, qui sine ulla assertione refert crimen, quod de altero audivit?

Familiare est hominibus audita, sive vera, sive falsa proximi crimina referre: ita tamen, ut non audant affirmare, ita esse: immo potius dicant, se non posse credere. In hoc ergo casu procedit quæsitum.

Certum est Primo: quod si ista relatio fiat animo lædendi famam proximi, & eam notabiliter lædat, est peccatum mortale obligans ad restitutionem; quia est formalis & vera detractio. Si autem fiat quidem animo lædendi, non tamen lædat, est quidem peccatum mortale; sed non obligat ad restitutionem, quia famæ ablatio non est secuta.

Certum est Secundo: talem relationem, etsi non fiat animo diffamandi, sed solum ex quadam loquacitate procedentem, non carere peccato, saltem veniali, contra charitatem. Tum quia: illa loquacitas continet sermonem superfluum. Tum quia: est contra præceptum juris naturæ: Tobiæ 4. v. 16. *Quod ab alio oderit fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias*. Quod etiam Christus, *Matth.* 7. v. 12. inculcat, dicens: *Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. An vero obliget ad restitutionem, etiamsi referatur sine animo lædendi: sequatur tamen apud audientes proximi læsio; Cajetanus; in 2. 1. *q.* 73. *a.* Sylvester, verbo *Detractio q.* 4. Navarrus censet, non obligare ad restitutionem: quia etsi audientes credant, id non est ex vi narrantis, sed ex audientium facili credulitate.

XXII. Attamen Soto, Bannez, Sylvius, censent oppositum. Et ratio erit. Nam, qui crimina de altero audita narrat, absque animo lædendi ejus famam, & sine ulla assertione, quod vera sint; si alter exinde infamatur, sua narratione sit causa infamiæ: talis enim narratio nata est, ut minimum, generare suspicionem. Si enim quis referat, se audivisse, quod suus vicinus sit adulter, vel hæreticus, aut patriæ proditor; quamvis dicat, se non credere, sermo ipsius natus est ingenerare apud audientes (qui & proniores sunt ad credendum mala, quam bona) malam aliquam suspicionem, quod saltem non sit sine fundamento, qua fama proximi apud eos lædatur, cujus causa est narrator; qui etsi nil mali intenderit, advertere tamen debuit, auditores aliquid malæ suspicionis formaturos: ideoque illius damni causa moralis censetur, & obligatur ad reparationem. Docet enim S. Thom. 2. 2. *q.* 73. *a.* 2. quod si quis *Proferat ex animi levitate, vel propter causam non necessariam, non est peccatum mortale; nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo grave, quod notabiliter famam alicujus lædat; & præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et ideo tenetur ad restitutionem famæ*. Non ergo ex levitate audientium, ut putant Auctores oppositi: sed ex ipso genere narrationis, sequitur famæ læsio, itque narranti culpabilis.

XXIII. Quæres secundo: An qui diffamatum in uno loco diffamat in alio, peccet, & teneatur ad restitutionem?

Respondeo cum distinctione. Vel enim diffamatum in uno loco diffamat in alio, ad quem verisimile est infamiæ notitiam cito perventuram, sive propter loci vicinitatem, sive propter mutua incolarum commercia, sive ob alias causas: vel diffamat in alio, ad quem ejusmodi infamia, vel non fuisset perventura, vel saltem nisi post longum tempus.

XXIV. Agitur, si priori modo diffamat, nec tenetur ad restitutionem, nec peccat, saltem mortaliter, si absit prava intentio. Ita Bannez, Salon, Navarrus &c. Quia talis proprie non diffamat alium, neque ipsi aufert famam: cum ille jam ante eam in uno loco palam, ac publice amiserit; & propter divulgationem, mox futuram, perinde est, ac si perdidisset etiam in alio. Addo: quod qui in uno loco sic est diffamatus, ut ejus crimen jure sit publicum: amisit jus famæ, ut nemo teneatur priorem de ipso bonam existimationem habere —— Quod ex eo confirmo: nempe, quia usus, & consuetudo hominum etiam piorum habet, ut quæ fiunt publice, omnibus narrentur; & in publicis novalibus etiam ad absentes, absque ulla peccati conscientia, transmittantur.

XXV. Si vero secundo modo diffamet, & non adsit rationabilis causa, peccat, saltem contra charitatem; quia facit illi, quod sibi non vellet fieri. Nam esto publice diffamatus non habeat jus ad famam; ipsum tamen fama spoliare in illo loco, in quo eam possidebat, & diu possessurus erat, contra charitatem est. Si tamen utilitati publicæ expediret, ut ad omnes notitia perveniret, nullum esset peccatum. Qua ratione excusantur, qui enormia crimina, Judicis auctoritate punita, eorumque patratorem absentibus nota faciunt, immo & posteris scripta relinquunt.

XXVI. Ne dicas primo, contra priorem partem. Non licet auferre pecuniam Petro, etiamsi scias, eam cito fore illi auferendam per alium; ergo neque licet auferre famam, quamvis sciatur, brevi auferendam per publicam divulgationem.

Respondeo enim, neg. conf. Disparitas enim est. Nam alter non amisit jus ad pecuniam: & ideo si ei tolleretur, auferetur alienum, domino rationabiliter invito, & committeretur furtum. At in casu, publice diffamatus perdidit jus famæ.

XXVII. Nec dicas secundo. Nemo amittit jus suum per injuriam: sed contingere potest, aliquem publice in uno loco diffamari injuste, seu per injuriam; ergo non amittit jus famæ; ideoque injustum erit, si diffametur in alio loco.

Respon-

Respondeo, dist. conf. non amittit jus famæ, per injuriam, conc. conf. per evulgationem, neg. conf. Eo enim ipso, quod quis publice, esto injuste, diffamatus est, amisit jus famæ: non per ipsam injuriam præcise, quasi injuria spoliaverit eum jure suo: sed per notorietatem criminis, quod, etsi per injuriam, innotuit tamen. Ideoque non peccaret contra justitiam, qui eum in alio loco diffamaret; sed potius contra charitatem, si absque rationabili causa id faceret. Immo qui sciret, proximum suum falso crimine ei imposito, esse diffamatum; & alibi, vel crimen, vel de crimine infamiam narraret, nihil dicens de falsitate; forte a mortali peccato excusandus non esset: quia nimis, & notabiliter ageret contra juris naturæ præceptum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*.

XXVIII. Quæres tertio: An qui grave crimen occultum aperit uni, aut duobus viris prudentibus, & silentium servaturis graviter peccet, & restitutioni obnoxius sit.

Respondeo, quod si id petat, vel utilitas Reipublicæ, aut ipsius peccantis, ut fiat ei correctio, vel utilitas tertii, nullum erit peccatum. Hinc ordinarie excusantur conjuges mutuo invicem revelantes crimina filiorum; & filii referentes patrifamilias peccata domesticorum. Cavendum tamen est, ne ea narrentur pluribus, quam oporteat ad emendationem peccantis; aut ad malum avertendum, vel a familia, vel a tertio.

Si vero id fiat, vel animo detrahendi, vel absque ullo ex præfatis motivis, & verius est, esse peccatum mortale, & obligans ad restitutionem. Hoc enim videtur sensisse D. Th. 2. 2, *q.* 73. *a.* 1. *ad* 2. dicens: *Quamvis etiam si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, sed in parte*. Et *a.* 2. docet, quod verbum ex levitate, vel sine necessitate prolatum, si sit grave, ut notabiliter famam alicujus lædat; ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis, & obligat ad restitutionem.

Nec excusat, quod viro prudenti narretur: immo potius gravat. Nam judicio viri sapientis plus damnificatur, qui famam amittit apud personam gravem, & prudentem, quam apud plures viros plebejos. Tum quia: bona fama apud unum virum gravem potest esse magnum bonum; unde ejus ablatio est magnum damnum. Tum quia: apud illam personam erat in possessione suæ famæ; ergo qui illam eripit, narrando crimen occultum, injuste, ac injuriose eam eripit.

XXIX. Si dicas. Fama est notitia publica; ergo nemo infamatur ex eo, quod ejus crimen sciatur ab uno, vel altero —— Respondeo, quod licet non infametur juridice, & in toto; infamatur tamen in parte, ut ex S. Thom. dicebamus; & quamvis talis infamatio extensive sit levis, est tamen intensive gravis. Sic judicium temerarium est mortale; licet maneat internum, & apud solum judicantem tollat famam: & qui libenter audit detrahentem licet solus audiat, mortaliter peccat.

XXX. Quæres quarto: An qui detrahit mortuo, æque peccet, ac qui detrahit vivo?

Respondeo affirmative. Quia fama bonum quoddam est, quod etiam perseverat post mortem: ut enim præclarum nomen suum conservent, & augeant, etiam post mortem, præclara facinora homines aggrediuntur: cumque defuncti anima perseveret, & in ea voluntas, & jus ad famam (hoc enim jus convenit homini ratione animæ, non ratione corporis) ideo patitur gravem injuriam, si ea injuste privetur, —— Cui vero facienda sit restitutio, dico: tutius faciendam esse defuncto, si defunctus est diffamatus; quia est capax famæ, etiam post mortem, & ut illi, si fuerit ablata, restituatur. Et quamvis ex detractione contra defunctum fuisset denigrata familia; dum restituitur suæ famæ defunctus, familia etiam restituta censetur.

XXXI. At quid si defunctus esset certo damnatus, puta, quia mortuus in paganismo, vel hæresi?

Judico probabilius, fore etiam grave peccatum gravissima crimina ipsi impingere, vel occulta propalare. Quia ratione humanæ naturæ adhuc proximus noster est, & quoad hæc erat in justa possessione bonæ famæ; licet in alio genere sit diffamatus. Per hoc autem, quod unus sit diffamatus in uno genere, non potest licite in alio genere diffamari: quia per infamiam unius generis non perdidit jus ad famam in alio genere virtutis. Quare per hoc, quod Lucretia Romana fuerit pagana, non perdidit jus ad famam suæ honestatis: ita ut qui eam assereret meretricem, injuriam illi faceret. Non diffiteor tamen, minus grave peccatum fore, quam si detraheretur ei qui probabiliter salvus esse censetur.

XXXII. Ex his infero: graviter peccare Historicos, qui occulta defunctorum crimina publici juris in suis historiis faciunt: quia eorum famam injuste deturpant, Immo & splendori familiæ detrahunt. Si tamen ea crimina non essent prorsus occulta, & communi bono profuturum, si ea scriberent, judicarent; quia posteri plurimum instruuntur ex historia; in consiliis capiendis; & sicut ad præclare gesta, Majorum exemplis spe honoris accenduntur; ita timore infamiæ a turpibus retrahuntur: licite scriberent. Quare quidquam plus concedendum videtur Historicis scribentibus, quam aliis loquentibus. Observare tamen deberent Historici, cum occulta crimina defunctorum produnt; an bonum, quod publico ex illorum notitia obveniet, præstet damno, quod ex tali infamia proveniet prosapiæ: nisi enim præstet, hujusmodi propalare erit illicitum.

XXXIII. De scribentibus vero, non historias, sed libellos infamatorios, certo certius est, eos esse inter detractores annumerandos, & restitutioni declarandos obnoxios. Nam per hos graviter lædetur fama, immo gravius, quam per detractionem particularem: quia crimen, quod erat occultum publicum fit, & ad omnium notitiam transit. Quare tenentur publice famam læsam reparare, si publice per libellum quempiam diffamarunt; ut sic ponatur æqualitas. Modus autem faciendi prudentis Confessarii judicio relinquendum est.

XXXIV. Hinc dubitari solet: an qui audit, vel tolerat detrahentem, peccet mortaliter. Qui tenent, revelare uni tantum, vel duobus crimen occultum proximi, ut supra, non esse peccatum mortale, nec contra justitiam, nec contra charitatem; consequenter dicunt, nec audientem, nec tolerantem peccare mortaliter.

Sed nos, qui contrarium statuimus, dicimus cum S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 4. in Corp. *Dicendum, quod secundum Apostolum, ad Rom.* 1. Digni sunt morte, non solum qui peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt. *Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo directe; quando scilicet quis inducit alium ad peccatum, vel placet peccatum. Alio modo indirecte; scilicet quando non resistit, cum resistere possit: & hoc contingit quandoque, non quia peccatum placet; sed propter aliquem humanum timorem.*

Dicendum est ergo, quod si aliquis detractiones audiat, absque resistentia, videtur detractori consentire; unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio, propter odium ejus, qui detrahitur; non minus peccat, quam detrahens, & quandoque magis. Unde Bernardus dicit (L. 2. de consider. c. 13.) Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.

Si vero non placent ei peccatum, sed ex timore, vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere; peccat quidem, sed multo minus, quam detrahens, & plerumque venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale; vel propter hoc, quod alioqui ex officio incumbit detrahentem corrigere: vel propter aliquod periculum consequens; vel propter radicem; qua timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale. Hæc S. Th. quibus nihil addendum judicamus. Quomodo autem timor humanus *ex radice* possit aliquando esse peccatum mortale, explicaverat S. Doctor 2. 2. *q.* 19. *a.* 3. Cum enim timor humanus, seu mundanus procedat ex nimio amore mundanarum rerum, quas amittere timet, cum secundum Aug. *Lib. Octuaginta trium quæstionum*, *Q.* 34. illud timeat amittere homo, quod amat: si ita homo res mundanas amaret, ut, ne eas amitteret, paratus esset potius a justitia recedere; ex hac prava radice peccatum mortale esset timor mundanus, seu humanus.

XXXV. Nec dicas. Potest aliquis suos detractores patienter tolerare absque peccato: ergo etiam detrahentes aliis. —— Nego enim conf. cum S. Th. citata *q.* 73. *a.* 4. *ad* 1. Nam *Detractiones suas nullus audit: quia scilicet mala, quæ dicuntur de aliquo, eo audiente non sunt detractiones, proprie loquendo, sed contumelia, ut dictum est. Possunt tamen ad notitiam alicujus detractiones contra ipsum facta, aliorum relationibus, pervenire: & tunc sui arbitrii est, detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum ... Et ideo in hoc potest commendari ejus patientia, quod patienter proprias detractiones sustineat. Non autem est sui arbitrii, quod patiatur detrimentum famæ alterius. Et ideo in culpam ei vertitur, si non resistit, cum possit resistere.*

XXXVI. Dices adhuc. Detractor aliquando dicit verba veritatis: sed verbis veritatis non debemus resistere; ergo &c.

Respondeo cum eodem S. Th. ad 2. *Quod non semper aliquis debet resistere detractori, arguendo eum de falsitate: & maxime si sciat verum esse, quod dicitur: sed debet eum verbis redarguere de hoc, quod peccat fratri detrahendo, vel saltem ostendere, quod ei detractio displicat, per cristitiam faciet: Quia, ut dicitur, Prov.* 25. Ventus Aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.

D U B I U M III.

De Modo Restituendi Famam.

§. I.

De Eo, qui detraxit, falsum dicendo.

I. Nil facilius, quam famam proximo detrahendo eripere: sed nil difficilius, quam in possessione famæ illum reponere. Quia vero ait S. Th. 2. 2. *q.* 62. *a.* 2. *ad* 2. famæ alicujus detrahi potest dupliciter: vel injuste, falsum dicendo; vel verum dicendo, sed injuste, puta, cum aliquis prodit crimen alterius contra dominum debitum: de modo reparandi famam priori modo ereptam, §. præsenti agemus; de modo autem eam reparandi, ereptam posteriori modo, agemus §. sequenti.

II. Dico. Qui dicendo falsum; nempe falsum crimen alicui imponendo, famam proximo eripuit, tenetur restituere, retractando quod dixit, *Confitendo se falsum dixisse*. Ita S. Thom. mox relatus. Quod si simplici retractationi alios non credituros timeat, debet juramentum addere: quia ex justitia tenetur remedia necessaria, & sibi possibilia adhibere, ut maculam proximo impressam deleat, ac proinde juramentum, quo uti solemus, ut fidem nostris dictis conciliemus. Immo si nec sufficeret juramentum, censent multi, teneri testes veritatis, si invenerit, adducere: quia tenetur omni via sibi possibili hominem in possessione suæ famæ, a qua eum injuste deturbavit, statuere. Alii tamen censent, testes non esse necessario vocandos; quia si juramento credere nolunt, illorum malitiæ tribui debet: & ex tunc illa infamia incipit provenire, ex mala voluntate auditorum, non amplius

ex dicto detractoris. Huic opinioni assentior: maxime quia S. Thomas relatus solum dixit, detractorem debere confiteri, se falsum dixisse, testium vero non meminit.

III. Sed est difficultas: An infamator suam retractationem facere debeat coram illis solis, apud quos detraxit; an etiam coram aliis, quibus isti narraverunt?

Respondeo, quod si, aut fuerat conventum de silentio, aut prudenter existimabat, eos non relaturos aliis; sufficiet retractatio coram illis solis, apud quos detraxit; quia tunc non est causa infamiæ apud alios delatæ: cum ad eos perveneric partim ipso invito, partim respectu ejus casu fortuito. Si vero apud eos detraxit, quos sciebat, vel scire poterat, ac debebat, verisimiliter non servaturos silentium; iis non restituentibus, debet apud omnes, ad quos noverit infamiam devenisse, se retractare, & conari, ut finistram opinionem ab eorum animis tollat; quia ipse fuit causa totius hujus infamiæ: quatenus eventus, qui ex nostra actione sequuntur, si præviſi sunt, nobis imputantur. De hoc videatur S. Thom. 2. 2. q. 20. a. 5. Quod si hi, apud quos detraxit, sola ejus auctoritate moti, ulterius rumorem sparserunt; ipse tamquam causa principalis tenebitur apud omnes restituere.

IV. Dices. Si ita est, tenebitur detractor, ut famam alterius refarciat, pati suæ famæ detrimentum, apud omnes se calumniatorem prodendo: sed nemo cum æquali suo damno tenetur damnum alterius refarcire; ergo &c.

Respondeo; neg. min. quando agitur de refarciendo damno quod quis injuste intulit. Quamvis enim nostræ famæ prospicere debeamus accuratiùs, quam alienæ, quando id sine cujusdam injuria fieri potest: nemini tamen licet suæ famæ consulere cum injuria alterius, sicut nec ditari cum alterius damno. Quemadmodum ergo in bonis fortunæ oportet restituere, etsi æquale damnum restituendo patiatur: ita in bonis famæ oportet, pati æquale detrimentum propriæ, ut restituatur alienæ. —— Nec refert, quod ex alterius infamia nihil utilitatis provenerit detractori. Nam & comburenti alienas domos, aut segetes nihil emolumenti venit: & tamen tenetur pati suorum bonorum detrimentum, ut refarciat damnum quod intulit. De quo, Dub. sequenti. Excipe tamen, si fama ejus, qui detraxit, longe esset præstantior fama ejus, cui detraxit: puta, si is, qui diffamavit, esset persona valde celebris, & Reipublicæ necessaria; quæ autem fuit diffamata, valde obscura, & vilis. Tunc enim, stante inæqualitate, non teneretur restituere cum majori suæ famæ detrimento, dicendo, se falsum dixisse; sed satis esset personam læsam laudare, vel ejus infamiam pecunia compensare; aut remissionem restitutionis pecunia impetrare.

§. II.

De Eo, qui detraxit, verum dicens, sed injuste.

V. Dico. Circa restitutionem famæ faciendam ab eo, qui grave crimen proximi, verum quidem, sed occultum, contra juris ordinem revelavit, ex quo secuta est infamia; sequentes statuuntur regulæ, seu modi id faciendi. Primus est, quam tradit S. Th. citata q. 62. a. 2. ad 2. nempe, quod restituat, *Quantum potest, sine mendacio tamen: utpote quod dicat, se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit.* Quod docet etiam in 4. dist. 15. q. 1. a. 3. q. 2. ad 1. *Quia* (inquit) *non debet alterius famam cum mendacio restituere.* Ideoque posset his terminis uti: non credatis, Petrum esse talem, qualem nuper dixi, quia graviter errabam ista dicendo; & sicut erravi dicendo, ita errant alii, male de ipso opinando. Quo sermone nullum profertur mendacium; quia detractor non solum male, & injuste fuit locutus; sed graviter erravit, evulgando id, quod silere oportuit: ipsi etiam auditores errant, habendo pravam opinionem de illo, quia tenentur illam deponere. Cæterum esti hic modus apud rusticos, aliosque simplices sufficere possit, ut pravam opinionem deponant; tamen apud ingeniosos, & cautelarum famæ restituendæ peritos, ordinarie non sufficit: qui fortassis colligerent, hæc ad famam restituendam dici, atque ita apud eos infamia proximi potius confirmaretur. Idcirco

VI. Secundum modum tradit Cajetanus, in præfatum a. 2. q. 62. quem, omnes ut aptissimum amplectuntur. Et est: nullam facere mentionem illius criminis, sed oblata occasione, eum, cui detraxisti, laudare, honorare; de eo præclare loqui etiam in eo genere, in quo eum læsisti: aliisque exterioribus signis ostendere, te habere ipsum, ut virum probum, & curare, ut ab aliis, talis habeatur.

VII. Tertius modus ab aliquibus statutus, est. Si detractor dicat, se deceptum fuisse, se falsum protulisse, sub hac, vel simili forma: quando tale crimen de tali dixi, putabam illud esse verum, sed postquam diligenter expendi, deprehendi, me dixisse falsum, seu me deceptum fuisse. Hoc enim modo infamato restituit famam, nec tamen infamat se ipsum; nulla enim infamia est dicere, se de alio dixisse aliquid falsum inculpabiliter, existimando esse verum; homines enim deceptioni subjecti sunt. Nec mentitur sic dicendo: nam quando illud dixit, verum erat, quod ita crederet. Nec etiam falso dicit, invenisse se deceptum, aut falsum dixisse; quia invenit, se id dicendo peccasse, & consequenter se practice deceptum, & practice falsum se dixisse, quia contra rectæ rationis ordinem: omne autem peccatum falsitas est, deceptio est, error est, secundum phrasim Sacrarum Scripturarum. Ita sentire videntur Bannez, Medina, & alii.

VIII. Sed huic modo dicendi obstat S. Thomas, qui, tum hac 2. 2. tum 4. *sent.* citatis locis inculcat, eum, qui detraxit, verum dicendo, debere restituere famam sine mendacio: dicendo autem se deceptum, aut falsum dixisse, mendacium proferret; quia dum hoc dixit, nec deceptus fuit, nec falsum dixit. Nec salvat, quod sic proferens intendat, se deceptum fuisse, & falsum dixisse practice. Quia, juxta communem modum loquendi, falsus, & verus sermo, non intelligitur de veritate, aut falsitate practica, seu per ordinem ad rectam rationem, vel non rectam; sed per ordinem ad rem, juxta illud: *Ex eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, aut falsa.* Neque est simile de variis locutionibus, quæ etiam in Sacra Scriptura leguntur. Nam ex circumstantiis, in quibus proferuntur, auditores, si advertant, sensum verum a proferente intentum facile percipere possunt. Sermo autem detractoris sicut volentis restituere, non continet veritatem ex circumstantiis: quia non solet ita intelligi, sicut ipse per clausulas, quas forte mente concipit, cupit intelligi, sed ut verba sonant. Alioquin aperiretur via restrictionibus mentalibus, æquivocationibus; a quibus, vel abstinendum est, vel saltem eis caute utendum, ut dixi supra *Quæst.* 4. de actu externo fidei —— Addo: nam sic proferens, vel vult, ut audientes intelligant locutionem illam in eo sensu, quo ipse intendit; vel non. Si non; ergo ipsos vult decipere. Si sic; ergo non vult famam restituere, sed potius famam ablatam confirmare. Nam si auditor penetrans sensum ab eo intentum respondeat: inveniſti te dixisse falsum, seu mentitum, aut deceptum practice, quia contra rectam rationem hoc dixisti: sed dixisti verum speculative, quia quod dixisti verum est. Quid respondebit?

IX. Tutius ergo est, alterutro ex duobus prædictis modis uti: nempe, vel dicendo, se male, aut injuste locutum; hoc enim secundum sensum verborum verum est: quod si audientes non deponunt opinionem, sibi imputent. Vel nihil de crimine prodito loquendo, eum, cui detraxit, caute, & in debitis circumstantiis laudare.

X. Hæc tamen, quæ de fama restituenda diximus, intelligenda sunt. Primo. Si infamatus famam suam non recuperavit. Quod si famam, quacumque via, sive per se ipsum, sive in judicio publico recuperavit; puta, si infamatus inductis testibus, probavit falsum esse testimonium: quod contra se dictum est: nulla remanet infamatori obligatio restituendi. Idem dico, si infamia propter temporis diuturnitatem oblivioni data est; in casu tamen dubii declinandum est ad favorem innocentis. Et probatur. Nam restitutio fieri debet ad reparandam per justitiam commutativam læsionem: sed quoties alia via reparata fuit infamia; cessat læsio: sicut si res furto ablata, alia via fuit a domino recuperata, cessat læsio, & in fure obligatio restituendi; ergo &c.

XI. Intelligenda sunt Secundo. Si postquam proximus fuit privatim infamatus, non fuerit diffamatus publice. Si enim aliquis infamat privatim Petrum de uno crimine; & postea de eodem crimine alia via diffametur publice: non tenebitur qui eum primo infamavit, amplius famam restituere, cujus jam in possessione non est: nisi forte, medio illo tempore ante publicam infamationem, damnum aliquod passus sit; hoc enim, qui primo illum infamavit, refarcire tenetur. Quod tamen intelligendum est, si publica infamia ex priori infamatione ortum non habuit, sed causaliter accidit, si enim ortum radicalem habuisset ex priori infamatione, teneretur infamaror etiam publicam infamiam refarcire; nisi forte impossibilitas id faciendi ipsum excuset.

DUBIUM IV.

Aliqua Quæsita pro Complemento.

§. I.

An Infamator cum Detrimento propriæ Famæ teneatur Restituere.

I. Dico primo. Absolute loquendo teneri. Et ratio est. Quia in omnibus fere modis famam restituendi cum includatur retractatio dicti, aliquod detrimentum famæ ipsius restituentis involvitur: cum ergo aliquis ex illis modis necessarius sit ad restitutionem, sit ut infamator cum aliquo suæ famæ detrimento teneatur restituere. Eo simili modo, quo restitutio pecuniæ facienda est, etiam cum detrimento sui proprii census, ut pater in eo, qui fuit causa incendii domus alienæ.

Hinc sequitur, restitutionem faciendam esse, etiam cum detrimento proprii census. Si enim ad famam restituendam necesse sit advocare testes, & hoc petat expensam, hanc subire debet infamator: quia res inferioris ordinis servire debent rebus ordinis superioris. Sicut qui læsit aliquem in aliqua parte corporis tenetur expendere pecunias necessarias ad ejus curationem.

II. Dico Secundo. Si infamator ex modo restitutionis incurrat magnum honoris sui detrimentum, non tenetur restituere famam, quæ non erat magni momenti. Explicatur. Vir in Republica illustris infamavit plebejum, tenetur restituere. At si fama hæc, quæ est minoris momenti, omnibus pensatis, restitui non possit, quia vir illustris plurimum honoris amittat in Republica, dispensatur ab onere restitutionis; & infamatus irrationabiliter est invitus, si velit, cum tanto dispendio fieri sibi restitutionem: quia irrationabiliter vult aliquis, ut proximus subeat magnum incommodum, & detrimentum, propter parvum commodum suum. Sicut irrationabilis esset, qui vellet, ut proximus restitueret sibi parvam quantitatem pecuniæ cum magno detrimento sui, & familiæ. Quemadmodum ergo hic excusatur, saltem pro tunc; ita

& in casu: quia sic se habet parva pecunia ad multam, ut parum famæ, & honoris ad plurimum.

Quare S. Augustinus in Regula alloquens Prælatos: *Si etiam* (inquit) *modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis subditis veniam postulatis: ne apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Sicut ergo excusatur Prælatus a petenda venia a subdito, ne tali humiliatione regendi frangatur auctoritas: ita ne frangatur honoris integritas, excusabitur vir illustris a restitutione famæ plebejo; si hæc sine gravi honoris sui dispendio fieri non possit. Si ergo non in omni casu, quo æqualis tenetur ab offenso veniam petere, hanc tenetur Prælatus petere a sibi subdito: nec in omni casu, quo æqualis tenetur reddere famam, tenebitur vir illustris eam reddere plebejo.

III. Hoc tamen dico, si secutura esset gravis læsio honoris in viro illustri: quod si secutura esset læsio tantum levis, tenebitur reddere, sicut alter. Rursus: si tanta esset infamia hominis plebei ex infamatione, ut æquipararetur læsioni honoris orituræ ex restitutione; puta, si fuisset infamatus de crimine læsæ majestatis, vel hæresis: tunc quantumlibet infamator sit vir illustris, tenebitur etiam cum gravi propriæ famæ detrimento restituere.

Noto etiam: quod hæc obligatio in viro illustri cessare potest, vel in perpetuum, vel solum ad tempus. Si enim nullo tempore possit restituere, absque gravi læsione suæ famæ; excusabitur in perpetuum a facienda restitutione, quamvis ex radice injuriæ factæ teneretur restituere: sicut qui nullo tempore potest debitum solvere, excusatur a solutione. Et in hoc casu satis erit personam laudare, aut pecuniam infamiam compensare; vel etiam remissionem restitutionis pecunia redimere. Si vero speretur futurum tempus, quo illustris vir possit, absque gravi suæ famæ detrimento, restituere; tunc non excusabitur in perpetuum a restitutione famæ. Sicut qui licet nunc non possit solvere debitum, poterit tamen postea, non excusatur a solutione; sed solum prorogatur tempus, sicut solvendi, ita & restituendi. Si tamen ex hac infamia homo plebejus perculit damnum; ad illud reparandum virum illustrem teneri, ut certum existimo.

§. II.

An si Restitutio Famæ sit impossibilis, teneatur Infamator Damnum in Famæ illatum Pecunia Compensare?

IV. Supponunt omnes, quod si per sententiam Judicis imposita sit aliqua pœna pecuniaria, vel infamatus cum eo transigeret de aliqua pecunia solvenda; teneretur infamator ex justitia illam solvere. Quia & judex potest illam juste imponere, sicut aliam pœnam exilii, aut carceris; & justæ sententiæ Judicis, quæ in alterius commodum cedit, tenetur quilibet ex justitia obtemperare: & cum infamatus jus habet ad petendam sua infamiæ satisfactionem; ut justam querelam deponat, potest cum eo pacisci de aliqua pecunia solvenda: & cum pactum sit justum, obligat ex justitia illud servare.

V. Rursus: absque sententia, & pacto teneri ex æquitate infamatorem, si dives sit, & infamatus pauper, & credat illi gratum fore, famam ablatam, quam nequit restituere, aliqua pecuniæ quantitate compensare, omnes asserunt. Difficultas est: an præciso pacto, & sententia Judicicis teneatur infamator, si non possit famam restituere, ex justitia, famæ læsionem pecuniis compensare.

VI. Censent aliqui, infamatorem non teneri ex justitia ad hoc modo restituendum; propterea quod fama sit bonum superioris ordinis, ideoque non æstimabile pecunia. Non pauciores tamen affirmant. Quia sicut aurum nobilius est argento, vel plumbo; magna tamen argenti, vel plumbi copia prævalet parvæ quantitati auri: ita fama præstantius quiddam est, quam pecunia; magna tamen pecuniæ summa potest alicui famæ æquivalere, aut etiam præponderare, secundum humanam, & moralem æstimationem. Quomodo & libertas hominis, licet sit altioris ordinis, potest pecunia compensari: ut cum homo vendit seipsum.

VII. His assentior. Et sicut superius dixi, eum, qui non potest pro vita ablata, aut membro mutilato satisfacere, teneri pecuniis, non solum damna inde secuta, sed & ipsam injuriam occisionis, vel mutilationis, & hoc ex justitia compensare: ita qui famam ablatam restituere nequit, censeo probabilius ex justitia teneri pecunia, vel alio genere bonorum temporalium compensare. Quamvis enim non possit reddi æquivalens; non ideo infamator debet esse liber ab omni restitutione, sive compensatione. Quia sicut D. Thomas loquitur 2. 2. q. 62. art. 2. ad 1. *Quando id, quod est ablatum non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est; puta, cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore.* Et ad 2. *Si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in aliis dictum est*, nempe, supra ad 1.

Et tunc maxime obligatur infamator, quando infamatus talis conditionis sit, ut receptis ab eo pecuniis honorabilior fiat in populo: quia pecuniæ, in isto casu, considerantur velut instrumenta, & media ad recuperandam famam in proprio genere. Cum enim ex S. Thoma debeat restitui fama omni modo possibili; si hoc possit facere per pecuniam, hoc debet facere.

§. III.

An Infamatus possit Condonare Restitutionem?

VIII. Quæsitum hoc procedit supposita sententia, cui supra adhæsimus, nempe, quod homo sit propriæ famæ dominus. Quo supposito petit: an ita possit de sua fama disponere, ut queat absque ullo peccato, saltem mortali, sine ulla rationabili causa, eam ablatam condonare, jus restitutionis abdicando: an vero id facere, sic quasi peccatum prodigalitatis: sicut quando homo facit de suo, quod vult, absque rationabili causa.

IX. Rursus: noto, quosdam esse, qui habent propriam famam ex officio, & ex justitia alteri obligatam, quales sunt. Prælati respectu subditorum, & Prædicatores respectu eorum, quibus prædicant; sicut etiam Religiosi respectu Communitatis; alii vero non habent famam propriam obligatam alteri, saltem ex justitia, quales sunt homines privati.

X. Tandem noto: crimina, quæ infamant homines, esse in duplici differentia. Quædam enim non infamant solam personam, puta Prælati, sed etiam ipsos subditos personaliter; qualia sunt ea, in quibus subditi solent Prælatos imitari, cujusmodi est crimen hæresis: etenim subditi sequi solent Prælatorum doctrinam. Quare dum Prælatus notatur de hæresi, notantur quoque de eodem crimine subditi. Alia sunt, quæ infamant solam personam Prælati, ex quo non sequitur alia infamia in subditis, nisi quod habent Prælatum malæ famæ, quale est peccatum avaritiæ, superbiæ, & similium. His notatis.

XI. Dico Primo. Prælatus infamatus tali infamia, qua infamentur subditi, tenetur ex justitia exigere restitutionem; ita ut eam condonare non queat: & si condonet, non solum peccat, sed condonatio nihil valet. Ratio est. Quia Prælatus non potest cedere juri subditorum, immo potius ex officio, & justitia tenetur illud tueri: sed quando subditi notantur de crimine infamiæ, ob infamationem Prælati, habent jus ad famam Prælati, ut ad propriam; ergo non potest &c.

XII. Dico Secundo. Licet ex infamia Prælati non sequatur infamia personalis subditorum; adhuc tamen tenetur Prælatus, non solum charitatis, sed justitiæ titulo non condonare suæ famæ restitutionem, si modo vult in officio perseverare. Et in hoc differt hæc Assertio a prima: quia in casu primæ, sive perseveret in officio, sive non, tenetur ex justitia non remittere restitutionem, sed eam exigere. Probatur autem sic. Prælatus tenetur ex officio strictiori vinculo charitatis, quam alii erga subditos. Rursus: tenetur ex justitia ducere subditos, ac se se bonum eis exemplum præbere, fraterna admonitione eos corripere: atqui hæc officia commode præstare non posset Prælatus de aliquo crimine diffamatus; ut enim ait Gregorius: *Necesse est, ut cujus vita despicitur, doctrina quoque & prædicatio contemnatur*; ergo Prælatus, si velit in officio perseverare, non potest infamis permanere, & condonare restitutionem. Quare in his casibus infamator non manet tutus in conscientia, etiamsi infamatus dicat, se condonare restitutionem suæ famæ; sed ad hoc tenebitur ex justitia restituere.

XIII. Sed contra hoc est. Si pater læsus in bonis corporis remittat percussori non solum injuriam, sed etiam damna consecuta; non tenetur percussor restituere quidquam filiis, aut hæredibus, neque titulo alimentorum, ad quæ filii habebunt jus; ergo similiter si Prælatus condonet restitutionem propriæ famæ, non tenebitur infamator restituere famam subditis. Quia sicut Prælatus tenetur procurare suam famam pro gubernandis subditis, qui sunt ejus filii spirituales: ita pater carnalis tenetur, & seipsum, & bona sua conservare pro sustentatione filiorum naturalium.

XIV. Respondeo, longe disparem esse rationem de patre carnali, ac de Prælato. Pater enim carnalis est totalis dominus bonorum suorum. Quod si filii habent jus ad illa bona, ut sustententur a patre; illud tamen jus fundatur, non in justitia commutativa, qua obligetur pater alere filios, sed in pietate, qua tenetur eos sustentare. Et ideo remittente patre restitutionem, factum tenet, quamvis ipse peccet contra pietatem: atque ideo non tenebitur percussor patris ex justitia quidquam filiis restituere. At Prælatus tenetur ex justitia commutativa defendere famam subditorum; & propriam famam habet obligatam ex justitia ad bonum regimen illorum. Unde si ex infamia Prælati sequatur infamia subditorum, & damnum in gubernio eorum, tenebitur infamator famam restituere: quia etsi condonaverit Prælatus, quod ad se attinet, condonare tamen nequit, quod attinet ad subditos: unde condonatio non tenet, & restitutioni infamator manet obnoxius, maxime in casu primæ Assertionis: in casu enim secundæ, solum tenebitur, si Prælatus velit in officio perseverare.

Hinc sequitur, quod nec Prælato liceat infamare seipsum. Quod si se infamaverit, tenebitur ex justitia famam suam reparare, ob rationem primæ, & secundæ Assertionis. Quæ tamen justitia non consideratur in Prælato per ordinem ad se, sed per ordinem ad subditos; quibus ex justitia tenetur suam famam custodire.

XV. Dico tertio. Persona particularis condonaris propriæ famæ restitutionem, non peccat contra justitiam: immo, *per se* loquendo, neque contra charitatem. Prior pars prob. Quia ipse est dominus suæ famæ, nec habet illam alteri obligatam ex justitia, ergo infamator talis personæ, obtenta condonatione, non tenebitur nec illi, nec alteri restituere.

Posterior vero pars explicanda est. Nam *per se*, nimirum,

ex natura rei, & ex objecto non esse peccatum mortale, probatur. Qui enim sine rationabili causa propriam pecuniam prodigit, non peccat mortaliter, quantum est ex parte objecti: solum enim peccat peccato prodigalitatis, quod juxta omnes est veniale ex objecto (de quo S. Thom. 2. 2. q. 119. *art.* 2.) ergo similiter persona privata, quæ sine rationali causa propriam famam quasi prodigit, condonando restitutionem, quantum est ex objecto, solum venialiter peccabit.

At ex circumstantiis aliquando potest esse peccatum mortale. Et probo. Quia bona fama, ut plurimum necessaria est, ad continendum hominem in officio virtutis: experimur enim homines infamatos, vel de bono nomine non curantes, statim præcipites ruere in vitia: unde S. Thom. 2. 2. q. 33. *art.* 7. ait: *Pra timore infamiæ multi a peccato retrahuntur, unde quando se infamatos conspiciunt, irrefrænate peccant*; ergo absque rationabili causa velle in infamia permanere, condonando famæ restitutionem, ex hac circumstantia peccatum mortale esse poterit contra charitatem sui. Et propterea *Ecclesiastici v.* 15. monemur: *Curam habe de bono nomine* —— Alia etiam circumstantia reddere poterit gravem culpam, remittere propriæ famæ restitutionem: nempe scandalum proximi, dum videt eum parvipendere culpam. Alia etiam esse poterit infamia, quæ cedit amicis, filiis, consanguineis; dum infamatus quasi non curans, infamis redditur, & infamat familiam. Quare in casu præsenti idem est, non curare de famæ restitutione, ac crimen sibi impositum fateri.

XVI. In his ergo circumstantiis, si infamatus expresse famæ redintegrationem condonet; tenebitur adhuc infamator, saltem ex charitate, famam restituere: & si patienter injuriam ferat, ostendens se non curare, ut sibi fama redintegretur, tenebitur etiam ex justitia, ita ut si non faciat, contra justitiam peccet. Sicut esto Martyres patienter, immo & voluntarie contumelias ferrent; immo exultarent, quoniam digni habiti fuerint pro nomine Jesu contumelias pati: adhuc tamen Tyranni contra justitiam peccabant. Et propterea non est idem expresse restitutionem famæ condonare, & illam non curare. Nam in præfatis casibus expresse remittendi non tenetur infamator restituere, nisi ex charitate ad summum: at non curanti, seu patienter toleranti, restituere etiam ex justitia tenetur.

XVII. Dico Quarto. Condonare restitutionem famæ, seu de illa non curare ex causa rationabili; secundum leges prudentiæ, & charitatis, & ex amore virtutis; non solum nullum est peccatum, sed est opus valde meritorium. Hoc pobat exemplum Christi, qui non curavit crimina, quæ illi a Scribis, & Pharisæis objiciebantur: falsos testes ipsum infamantes contempsit, improperatus non aperuit os suum. Unde coram Pilato ipsum urgente, ut responderet ad ea, quæ sibi objiciebantur, tacebat, *Matth.* 27. *v.* 12. *Marci* 15. *v.* 4. &c. Cujus exemplum Sancti viri secuti, dum falsa crimina imponerentur eis, sæpe tacuerunt. Et ratio est. Quia licet fama, & honor sint bonorum temporalium maximum; ordinantur tamen ad majus bonum vel Communitatis, vel virtutis, vel Dei gloriæ: unde propter hujusmodi majora bona prudenter exponitur fama, sicut & vita, quamvis pretiosissima.

XVIII. Quæri tandem potest: An si diffamator, non facta, nec sibi condonata famæ restitutione, e vivis decesserit, teneantur ejus hæredes ad famam restituendam loco infamatoris: & an mortuo infamato, nec restitutione famæ sibi facta, teneatur adhuc infamator, vel ejus heredes famam restituere.

Respondeo ad primam partem, probabile esse, hæredes infamatoris mortui antequam ullam fecerit restitutionem famæ, teneri ejus loco restituere non solum damna ex infamia secuta (quod certum est) sed etiam famam; non quidem revocando, quod infamator dixerat; sed laudando, vel honorando infamatum, vel pecunia injuriam compensando. Nam fama injuste ablata, si aliter fieri non possit, saltem per pecuniam est compensanda, ut supra diximus. Ita sentiunt Hadrianus, Navarrus, Molina, *Tract.* 4. *disp.* 46.

Ad secundam partem probabiliter dico: quod etsi is, qui fuerat infamatus, moriatur; non propterea, vel infamator, vel ejus hæredes sunt liberi a restitutione: quia hæredes infamati succedunt in ipsius jura, multumque interest eorum, ne ille maneat infamatus; maxime si hæredes sint necessarii, ut filii &c.

QUÆSTIO IV.

Quid, & Cui Restituendum sit.

DE restitutione famæ actum est: nunc de restitutione rei ablatæ prosequimur. Duo in præsenti quæstione examinabimus, nempe, quid restituendum sit: an solum id, quod est ablatum: & cui sit restituendum.

DUBIUM I.

An Aliquando debeat Quis Restituere Plus, quam Abstulit?

§. I.

Aliqua Præmittuntur.

I. HOC tractat S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. ubi docet, duo in ablatione rei alienæ esse consideranda. Unum est substantia ipsa ablationis, ex qua inæqualitas resultat; ut minus ille habeat, a quo res est ablata, plus autem ille, qui abstulit: & hoc commune est tam justis ablationibus, quam injustis. Nam sive rem mutuo, sive furto accipias, sive credito emas; tanto alter minus habet, quanto plus tu. Secundum, quod in ablationibus consideratur, est modus ipse auferendi: puta, si quis fraude, aut vi quidpiam, vel auferat vel auferre conatur. Et hoc undique habet adjunctam injustitiam, sive revera rem auferat, sive non; quia scilicet conatu suo prævalere non potuit, ut auferret.

II. Advertendum etiam est: quod omni ablatione injusta, & læditur pars contra quam exercetur justitia, & violatur lex, contra quam peccatur: & per consequens peccatur contra Legislatorem, ministros, & Judices, qui sunt legum Custodes. Hinc qui furatur, lædit proximum, cui furatur, & violat legem vetantem furtum. His prænotatis.

§. II.

Resoluiones Dubii.

III. DICO Primo. Attenta natura restitutionis relate ad personam læsam, per rei suæ ablationem, & detentionem, sufficit in universum restituere illud simplum, quod sustulisti; sive per fas, sive per nefas id feceris. Ratio est. Quia restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ solum intendit tollere inæqualitatem, & æqualitatem statuere: ideoque nihil ad illam refert, an justa fuerit ablatio, an injusta. Quare si accepisti quatuor, sive per mutuum, sive per furtum, totidem debes reddere vis restitutionis; & sic justitiæ commutativæ satisfecisti. Conatus es furto rem auferre, nihil tamen potuisti surripere; vis restitutionis nihil debes. Quo fit, ut restitutionis obligatio, & reparatio personæ læsæ, quando debitum certum est, nullam expectet Judicis sententiam, sed ex lege ipsa justitiæ orietur.

Nota tamen: hanc Assertionem esse intelligendam, quando res ablata non est fructifera. Si enim res ablata sit fructifera, non satis erit reddere rem ablatam; sed ulterius fructus talis rei, quos percepisti, sunt domino compensandi, deductis tamen expensis.

IV. Dico secundo. Ex parte injustitiæ contra legem, quam violavit insultus raptor, non sufficit restituere simplum, seu id, quod injuste abstulit: sed ulterius tenetur restituere per pœnam a lege, vel Judice pro tali injuria constitutam. Et ratio est. Quia per restitutionem simpli, seu rei ablatæ, tantum satisfit personæ læsæ: cum vero per injustam ablationem læsa fuerit etiam justitia, & violata lex, contra quam fuit peccatum; huic etiam satisfieri debet, sustinendo pœnam constitutam.

V. Dico tertio. Ad restitutionem per pœnam debitam ratione injustæ acceptionis nemo tenetur, antequam a Judice lata sententia condemnetur. Hinc patet discrimen inter debitum restitutionis faciendæ personæ læsæ, & debitum restitutionis per pœnam solvendæ legi. Nam primum nulla expectata sententia solvendum est, illud vero non nisi post latam a Judice condemnationis sententiam. Sit exemplum: justitia dictat, quod qui furatus est bovem, bovem vel valorem bovis domino restituat. Rursus; lex pœnalis erat apud Judæos, Exod. 22. v. 1. *Si quis furatus est bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove*. In tali casu qui furatus erat bovem, vel ovem, tenebatur statim ex justitia commutativa bovem, vel ovem, aut valorem ejus restituere, quia hoc lex naturalis dictat: quintuplum vero, vel quadruplum ex lege judiciali reddere non tenebatur, nisi fuisset sententialiter condemnatus.

VI. Ratio autem hujus est, primo. Quia nemo debet esse minister, & executor pœnæ in se ipsum latæ: alias cum pœnam subiens sit patiens, pœnam vero exequens sit agens; sequeretur, quod idem esset agens, & patiens, quod est contra ordinem naturæ; ergo lex, quæ derivatur a natura, ut vidimus, non potest velle ut reus per seipsum in se pœnam exequatur, sed vult, ut executionem pœnæ subeat a ministris ad hoc deputatis: & sic antequam per istos illi sententialiter intimetur pœna, non tenetur eam subire. —— Explicantur sic. Lex, quæ est regula unanimis nostrorum actuum, per justitiæ ministros applicanda est subditis; ergo ad istos pertinet suos subditos ad observantiam legis cogere; cum ergo per inflictionem pœnæ coactio fiat, hoc ad Judicem pertinet, quia contra naturam esset, quod aliquis cogeret seipsum.

VII. Hic ait Soto, *l.* 1. *Just. & Jure*, *quæst.* 6. *art.* 6. quod lex pœnalis ad duos loquitur. Cum enim jubet, ne quis quid faciat, alloquitur subditos: cum vero addit, quod contrafaciens dominium rerum amittat, vel tantam pecuniam solvat: non tam subditos alloquitur, quam justitiæ ministros, quibus talem imperat animadversionem. Ideoque licet lex pœnalis dicat *ipso facto*, vel *ipso jure* qui talia fecerit; amittat dominium rei suæ, aut tantam pecuniæ quantitatem solvat; non obligat ad hanc pœnam ante sententiam a Judice latam. Unde reus non tenetur in conscientia bona sua, statim commissa culpa, a se abdicare.

VIII. Nam quantumcumque lex pœnam comminetur (& est secunda ratio) æquissimum tamen jes naturæ servat, quod est, ut delinquens audiatur; juxta illud Greg. IX. De causa possess. cap. Suscepitis: *Nec nos contra inauditam partem aliquid possimus definire*: natura scilicet id vetante. Cum enim lex in communi feratur, neque singulares circumstantias potuerit prospicere; munus hoc delegatum est Judici, ut eisdem perspectis sententiam ferat: Potest siquidem reus allegatissimam occasionem, vel quod non tam graviter in legem impegerit; ut dignus sit totius legis acerbitate. Quare etiam in crimine hæresis, quod omnium impiissimum est, auditur

ditur hæreticus; daturque ei locus, quomodocumque voluerit, crimen suum excusandi. Quod etiam in crimine læsæ majestatis servatur. Cum ergo lex dicit: *ipso facto*, idem est, quod *ex natura, & genere facti*. Cui non obstat, quo minus de quantitate, & modo facti sit expendendum; ut juste infligatur pœna, quemadmodum fieret ab ipso Legislatore, si præsens esset. Et inde quoque alia lex sanctissima damnavit, ut nemo, nisi vel confessus condemnetur, vel convictus, Can. *Nos in quemquam*, & Can. *Judex* 1. *q.* 7. alias nimis duræ, & asperæ essent leges. Immo contra naturale axioma: *Nemo tenetur prodere seipsum*: teneretur autem prodere seipsum, si statim culpa commissi, teneretur pœnam subire.

IX. Excipe tamen leges pœnales Ecclesiasticas, continentes latam sententiam de aliqua censura Ecclesiastica: hæ enim statim ligant ipso facto in foro interno, ante Judicis sententiam. —— Neque dicas. Quod sicut Judex Ecclesiasticus habet facultatem privandi hominem bonis spiritualibus: sic Legislator potestatem habet transferendi dominium bonorum temporalium, quando expedierit bono communi; ergo eadem ratio est de lege Ecclesiastica, ac de aliis.

X. Nam respondeo, rationem, quare Ecclesia excommunicare potest ipso facto, & homo obligatus censetur, etiam absque causæ cognitione, & Judicis sententia, esse: quia dum privat hominem suis suffragiis, aut susceptione Sacramentorum, non privat eum bonis suis propriis, quæ jure peculiari possidebat; sed communibus, quorum ipsa est dispensatrix, ac si diceret: qui talem admiserit culpam, non sit meorum bonorum particeps, aut ministrator; veluti si pater familias diceret: quicumque me odio prosequetur, non vescetur meo pane, vel domi meæ non manebit. Verum per alias leges pœnales transfertur dominium rerum, quas quis cum proprietate possidet tamquam dominus. Esto autem Legislator potestatem habeat transferendi dominia rerum per legem justam, quando expedierit bono communi: tamen nunquam præsumendus est, id velle facere ante Judicis sententiam, qui cognoscat de crimine perpetrato, & applicet pœnam legis, spoliando hominem bonis suis. Ad suavitatem namque legis pertinet, ne obliget criminosum hominem, ut sit executor suæ pœnæ, & privet se bonis, quorum possessionem habet: hoc enim esset nimis durum, & vix reperiretur, qui hac parte obediret legi.

XI. Dico quarto. Post sententiam Judicis tenetur reus in conscientia parere: ita ut, qui fraude, vel dolo, aut vi impediret, ne sententia executioni mandetur; teneretur bona, in quibus damnatus est, ante aliam sententiam, vel parti læsæ, vel fisco, prout judicatum fuerit, restituere. Ratio autem est. Quia quicumque detinet rem non suam, debet illam vero domino restituere: sed per sententiam Judicis aufertur dominium a reo, & transfertur in fiscum, vel alium; ergo tenetur illa reddere.

Non oportet tamen, ut reus condemnatus propriis manibus ea bona restituat, nisi forte expresse per sententiam ita facere juberetur: sed sat est, ut permittat illa a se auferri, neque occultet, sed sincere manifestet interroganti. Et ratio eadem est, ut supra, quia sententia Judicis non obligat reum, ut ipse sit executor illius: sed transfert dominium in fiscum, ea conditione, ut fiscus eam exequatur. Quare si fiscus negligeret ea bona exigere, forte condemnatus posset præscribere intra tempus a legibus definitum: nisi sit aliqua lex Ecclesiastica, quæ impediat hujusmodi præscriptionem in pœnam hæreticorum. De his recolantur dicta, *Tom.* 1. *in* 1. 2. *Tract. de Legibus*, *Q.* 6. *de Lege humana*, *Dub.* 2. §. 3.

DUBIUM II.

An aliquando teneatur quis restituere quod non abstulit?

§. I.

De Restitutione ex Damno Dato.

I. SUppono ex D. Thoma laudato *q.* 62. *art.* 4. unumquemque teneri, damnum, quod alteri dedit, ad justum restituere: damnum enim alteri dare idem est, ac quidpiam ab illo auferre, sive pecunia sit, sive quodlibet aliud pecunia æstimabile. Nam damnum accipere, ut ait Arist. 5. *Ethic. capit.* 4. est minus habere, quam habere debuit: qui autem in causa fuit, ut minus haberet, ex justitia cogitur tantumdem reddere.

II. Ex hoc infertur; quod, ut qui damnum dedit, restituere teneatur, requiratur aliqua culpa: qui enim sine culpa damnum dedit, ad nullam restitutionem tenebitur in foro conscientiæ. Tum ex illa communi regula: *Si cui culpa damnum datum est &c.* quæ necessario supponit culpam. Tum quia: duplex est titulus obligans ad restitutionem. Alter ex re accepta, alter ex injusta acceptione: neutra autem est, ubi nulla est culpa; ergo &c. —— Dixi tamen in foro conscientiæ, quia in foro exteriori contingit sæpe, aliquem obligari ad reparationem damni, in quo nullam habuit culpam coram Deo; quia præsumitur habuisse.

III. Pro cujus intelligentia recolo celebrem divisionem culpæ in theologicam, & juridicam. Theologica, est, quam considerat Theologus; & coincidit cum peccato mortali, seu veniali. Culpa vero juridica non respicit, quod id, quod exercetur, sit peccatum, vel non: sed quod omittatur aliqua diligentia debita, ex cujus omissione sequatur damnum alterius —— Hæc autem culpa juridica, alia est latissima, ut dolus manifestus; alia latior, ut dolus præsumptus; alia lata, & est omissio illius diligentiæ, quam homines illius status communiter adhibere solent. Alia est culpa levis; & est omissio illius sollicitudinis, quam diligendiores, & prudentiores adhibent. Alia levissima; & est omissio diligentiæ, quam prudentissimi, & vigilantissimi solent adhibere.

IV. Hæc ergo culpa juridica, etsi frequenter coincidat cum culpa theologica, potest tamen ab illa secerni. Unde si quis non adhiberet omnem diligentiam, quam solent homines communiter in tali negotio adhibere, erit culpa lata juridica: si tamen ex oblivione, aut inconsideratione inculpabili hoc faciat, nulla erit culpa theologica. Id clarius apparet in culpa juridica levi, & levissima. Quia cum quis habuit omnem diligentiam, quam communiter solent homines adhibere in aliquo negotio; in nulla culpa theologica est, etiam levi, aut levissima damni secuti; quia coram Deo non tenetur ad amplius faciendum: erit tamen in culpa levi, aut levissima juridica, si non adhiber curam, quam diligentiores, aut diligentissimi solent in tali negotio adhibere.

V. Si ergo nulla ex præfatis culpa committatur, regulariter non datur obligatio restitutionis ob secutum damnum alterius: quia obligatio non potest oriri ex re accepta, ut supponimus, neque ex injusta actione: quia ubi nulla est culpa, ubi nulla potest esse injusta actio, quia nihil ibi est voluntarium, ut ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Et habetur, Cod. *Finalis*, *De injuriis*. Ideoque si puteum apertum reliquisti, in quo non solent homines periclitari, & casualiter aliquis in eo periclitetur; nulli obnoxius es restitutioni, quia nullius culpæ es reus. Si laqueum parasti ad capiendam feram in loco remotissimo, per quem nec homines, nec animalia mansueta transire solent: si homo, vel equus ejus laqueo illo suspendatur, quia in nulla culpa es, nihil debes. Idem dic, si sagittam projeceris, quo homines non solent accedere; si casu hominem læsisti, nihil debes. Si vero cum culpa lata sive juridica, sive theologica damnum alteri irrogasti; puta, si ignem accendisti prope segetes alterius, non adhibens sufficientem diligentiam, ne damnum alterius sequatur: eris in culpa lata, & plena advertentia, teneberis eirum damnum resarcire. Ut *C. Finali*, *De injuriis*, ibi. Nec ignorantia te excusat, si scire deberes, ex facto tuo verosimiliter posse contingere.

VI. Tres tamen dantur casus in jure, quibus absque culpa quis ad restitutionem obligatur. Primus. Si animal tuum animal alterius occidit, vel alterius segetes conculcavit, aut devoravit, vel hominem quoquo modo læsit. Tunc etsi id sint tua culpa factum sit, teneris vel animal tradere, vel damnum factum reparare: nisi forte tuum animal invasum sit ab alio: si enim illud occidit, ad nihil teneris. Sicut nec sit latro domum, vel hortum tuum ad furandum intret, & a canibus tuis lædatur: vel si aliquis incautus ad feram tuam, quam ligatam renes, accedat, & ab illa damnificetur.

VII. Secundus casus est. Si absque tua culpa mancipium tuum alterum culpabiliter lædat, vel in bonis, vel in persona; teneris vel mancipium tradere; vel damna restituere.

VIII. Tertius casus est. Quando ex domo tua aliquid effunditur, vel projicitur in viam publicam, vel privatam, & nocuit transeuntibus; vel ibi commorantibus. Nam & si sine tua culpa factum sit, si non fuit proclamatum, ut transeuntes illud damnum vitare possint; teneris tu, si es caput illius domus, vel familiæ: & si nocuit capiti, vel alteri corporis parti, teneris ad expensas curationis, & ad damna ea causa contracta. Item si aliquid ex domo tua appensum est, quod decidens nocere potest, & de facto nocuit: si vero de facto non decidit, non nocuit, is, qui appositit illud, debet solvere decem aureos propter periculum; & paterfamilias alios decem, si vidit, aut scivit, quod appensum est, nec prohibuit. Hæc autem supradicta non obligant in conscientia, nisi post Judicis sententiam: quia tales leges sunt usu receptæ.

IX. Extra vero prædictos tres casus ad nullam restitutionem tenetur ille, apud quem res aliena periit ex casu fortuito; quia casus fortuiti non possunt per humanam prudentiam prævideri, & præcaveri. Ut si domum locatam habeas, & casu fortuito igne, aut tempestate destruatur, si equum conductum ad iter agendum, vel mutuatum accipias, & casu fortuito suffocetur, moriatur, aut a latronibus eripiatur: nisi forte in pactum deduxeris, te velle obligari ad omnes casus, etiam fortuitos.

X. Similiter: si dans operam rei illicitæ fuit causa damni, nec intenti, nec prævisi, neque ex sua injusta actione secuti. Ut si fur intraret domum ad furandum, & casu fortuito domum incenderet, non teneretur in conscientia ad satisfaciendum; quia damnum per accidens secutum, non imputatur ad culpam; ergo nec ad pœnam, vel quasi pœnam restitutionis: maxime, quia respectu illius damni non est voluntaria actio; ac proinde, nec culpabilis, aut injusta. Si tamen damnificatus ageret in judicio contra eum, qui damnum intulit; poterit id, quod sibi per sententiam fuerit adjudicatum, tuta conscientia retinere.

XI. Insuper: non solum ignorantia antecedens, quæ dat causam actui, sed etiam concomitans, quæ non est causa læsionis (quia sine illa opus exercererur) sed illam duntaxat comitatur, excusat a restitutione. Unde si proiicias sagittam adhibens omnem diligentiam, ne alteri damnum inferas: esses tamen ita affectus, ut si scires, hominem ex lædi, adhuc projiceres: si casu homo tunc transiit, quem læsisti, ad nil restituendum teneris. Et ratio est. Quia actio, quæ non est injusta causa mali alieni, non inducit obligationem restitutionis; ut si gauderem de malo alieno, nil tamen influens in illud: sed in casu dicto actio illa non est causa læsionis, ut talis, quia hæc petit causam voluntariam. Licet autem in

hoc